
# DE BAPTISMO.



BAPTISMVS eſt, ille in quo homo ſpiritu gratiæ in melius immutatur, & longe aliud quàm erat efficitur.

Vel eſt ablutio corporalis exterior; cum inuocatione ſanctæ Trinitatis, ex inſtitutione diuina, ſignificans ablutionem animæ à peccatis. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum, & in ipſa tinctione reddimur pulchri dealbatione uirtutis. &c.

Natura, atq; Subſtantia ipſius Baptiſmi explicatur ex ipſius uocis ſignificatione, quam Græcam eſſe nemo ignorat, porro.

Et ſi in ſacris litteris non ſolum eam ablutionem, quæ cum Sacramento coniuncta eſt, ſed etiam omne ablutionis genus, quod aliquando ad paſsionem translatum eſt, ſignificat.

Tamen apud eccleſiæ ſcriptores, non quamuis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum ſacramento coniungitur, nec ſine præſcripta uerborum forma miniſtratur. Sancti Patres uſurparunt quoq; alia nomina ad

eandem



eandem rem ſignificandam.

D. Auguſtinus appellauit Baptiſmum ſacramentum fidei, quod illud ſuſcipientes uniuerſam Chriſtianæ religionis fidem profiteantur.

Alii, & inter hos D. Chriſ. Baptiſmum illuminationem uocarunt, quia fide quam in Baptiſmo profitemur, corda noſtra illuminantur. Paul. ad Heb. 10. Rememoramini. Quæ illuminatio ſignificat.

Tum ex purgationem ueteris fermenti.

Tum Chriſti { Sepulturam, Plantationem, Crucem. }

Dionyſius. Principium ſanctiſsimorum mandatorũ, quod ueluti ianua ſit, qua in Chriſtianæ uitæ ſocietatem ingredimur.

Explicatur quoque Natura, & Subſtantia ipſius Baptiſmi. ex DIFFINITIONE REI, cum Saluator dicat. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. Et Apoſtolus loquens de eccleſia ait; Mundans eam lauacro aquæ in uerbo.

Vnde fit, quòd recte Baptiſmus deffiniatur eſſe ſacramentum regenerationis per aquam in uerbo.

Ergo accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

Explicatur quoque ex DECLARATIONE MATERIAE, & FORMAE, & ESSENTIAE.

MATERIA Baptiſmi, eſt aqua ſimplex elementaris, ſiuè ea maris ſit, ſiue Fluuii, ſiue Paludis, ſiue Putei, aut Fontis, quæ ſine ulla adiunctione aqua dici ſolet.

Cur autem hæc ſit eius propria materia, ex his poteſt animaduerti.

Et primo, quoniam hoc ſacramentum omnibus ſine ulla exceptione ad cõſequendum uitæ neceſſarium erat,

idcirco aquæ materia, quæ numquàm non prȩſtò eſt, atque ab omnibus facile parari poteſt, maximè idonea eſt.

Secundo, ſicut enim aqua ſordes abluit, ita etiam Baptiſmi uim aquæ efficientiam, quo peccatorum maculȩ eluuntur, optime demonſtrat.

Tertio accedit illud, quod quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſsima eſt, ſic Baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur.

ESSENTIA, Baptiſmi conſiſtit in aſperſione aquȩ, & in prolatione uerborum formȩ.

FORMA, hæc eſt. Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Apud Grȩcos hȩc eſt. Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Sicut in nomine Chriſti tantum, ſacramentum Baptiſmi plenum eſt.

Ita etiam. Spiritu ſancto tantum nuncupato, nihil deſit ad miſterii plenitudinem.

Verum Baptiſma quoque datur in nomine Patris tãtum, ſi tamen ille, qui baptizat, fidem Trinitatis teneat, quȩ Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Tutius tamen eſt tres ipſas perſonas nominare, & ita decretum eſt.

MODVS, qui hoc ſacramentum initiari debent, triplex eſt.

In aquam merguntur.
Aqua in eos infunditur.
Adſperſione aquȩ tinguntur.

Ex his autem tribus ritibus quicunque ſeruetur baptiſmũ uerè perfici, credendum eſt.

Aqua in Baptiſmo adhibetur ad ſignificandã animȩ ablutionem, quam efficit. Ideo ab Apoſt. ad Epheſ. 5. lauacrum



uacrum appellatur.

INSTITVIT Chriſtus ſacramentum Baptiſmi, quando Baptiſmum à Ioanne in Iordane ſuſcepit, & ſanctificandi uirtutem aquæ tribuit.

D. Gregorius Nazianzenus, & Auguſtinus eo tempore aquȩ uim generandi in ſpiritualem ſcilicet uitam datam eſſe teſtantur.

Et licet Chriſtus ipſe inſtituerit idem ſacramẽtum, tamen nullus tenebatur ad eum ſuſcipiendum, uſque poſt reſurrectionem, quando in die Aſcenſionis dixit Apoſtolis; Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui uero non crediderit, cõdemnabitur.

Vel inſtituit Dominus Baptiſmum, cum de latere ſuo, ſanguinem, & aquam produxit, quem poſtea, quaſi lege edictali ſanciuit dicẽs. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Cœlorum; & ipſe Dominus baptizatus eſt in ſua paſsione, vnde inquit; Baptiſmo habeo baptizari, quo coarctor uſque dum perficiatur, &c.

SCIENDVM eſt quoque quod triplex eſt Baptiſmus.

FLVMINIS.
FLAMINIS.
SANGVINIS.

FLVMINIS, uel aquȩ, eſt ille quando quis baptizatur in aqua, & illud eſt Sacramentum Eccleſiæ, & loquendo de tali baptiſmo, nemo poteſt baptizare ſe ipſum, & de hoc loquitur, in Ioannis 3. quando dicit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.

FLAMINIS, uel ſpiritus eſt, quando Spiritus ſanctus mũdat, & abluit animã alicuius inuiſibiliter à peccato. Et tali baptiſmo poteſt aliquis baptizare ſe ipſum habendo deuotionem ad baptiſmum, ita quòd ſi haberet

opportunitatem ſuſciperet Sacramentum Baptiſmi, & ſi in tali propoſito moreretur, ſaluaretur.

Et iſte dicitur Baptizatus adultus, quia & ſi non baptizatur in RE. Sicuti paruuli baptizantur, tamen baptizatur in VOTO, & uocatur adultus renatus ex uoto, & de hoc loquitur in actibus Apoſt. 1. Cum dicit. Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, & igne, &c.

SANGVINIS eſt ille, quando aliquis non baptizatus, ſuſtinet mortem pro fide Chriſti; Et talis baptiſmus proficit ad ſalutem, dummodo qui ſuſtinet, ſi ſit adultus habeat baptiſmum aquæ in uoto. Si autem non ſit adultus, non requiritur tale uotum, ſed ſufficit ad ſalutem mors tolerata pro Chriſto, ſicut fuit de Innocentibus.

Et de tali Baptiſmo loquendo, nullus poteſt baptizare ſe ipſum, quia nulli licitum eſt interficere ſe ipſum pro quacunque cauſa, & de hoc loquitur, cum dicit, poteſtis bibere calicem, quem ego bibo? & baptizari Baptiſmo, quo ego baptizor?

Et quilibet ad Baptiſmum tenetur. (etiam ſi ſanctificatus in utero) propter tres rationes.

Primo, ut acquirat characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quaſi deputetur ad percipienda ſacramenta diuina.

Secundo, ut per Baptiſmi perceptionem, paſsioni Chriſti etiam corporaliter conformetur.

Tertio, propter bonum obedientiæ, quia præceptum eſt de Baptiſmo, omnibus datum eſt. Thom. in 4. diſt. 6.

BAPTISMVS Ioannis erat in pęnitentiam, non in remiſsionem, iuxta illud. Veniebant ad Ioannem in Iordanem confitentes peccata ſua, & quos baptizabat pęnitere docebat.

Baptiſmus uero Chriſti in remiſsionem eſt.

Significabat quoque Baptiſmus Ioannis rem ſacram, ſcilicet

licet



licet Baptiſmum Chriſti, qui non tantum eſt pœnitentiæ, ſed & remiſsionis peccatorum.

Qui baptizabantur à Ioanne, neſcientes Spiritum ſanctũ eſſe, ac ſpem ponentes in illius Baptiſmo, poſtea baptizabantur Baptiſmo Chriſti.

Qui uerò non ponebant ſpem in Baptiſmo Ioannis, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum credebant, non poſt baptizabantur; ſed impoſitione manuum, ab apoſtolis ſuper eos facta Spiritum ſanctum recipiebant.

Diſpenſare ſacramenta pertinet ad illum, qui habet poteſtatem ſupra Chriſti corpus uerum, ſed talis eſt ſolus ſacerdos, ergo ad ſolum ſacerdotem pertinet ſacramenta diſpenſare.

Sed Miniſter baptiſmi duplex eſt, vnus extra caſum neceſsitatis. Alius in caſu neceſsitatis.

Ad caſum extra neceſsitatem, ad ſolum ſacerdotem, pertinet baptizare.

In caſu autem neceſsitatis, miniſter poteſt eſſe tam mulier, tam fidelis, quàm infidelis, ſi intenderet ritum & intentionem eccleſiæ ſeruare.

ORDO quorum miniſtrorum Triplex eſt.

Ac in primo quidem ordine. Epiſcopi, & ſacerdotes collocandi ſunt, quibus datum eſt, ut iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate hoc munus exerceant.

In ſecundo miniſtrorum ordine locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi, aut ſacerdotis conceſſu, non licere hoc ſacramentum adminiſtrare, ut plurima ſanctorum Patrum decreta teſtantur.

EXTREMVS ORDO, illorum eſt, qui cogente neceſsitate, ſine ſolemnibus cæremoniis baptizare poſſunt, Nam hoc munus, cum neceſsitas cogit, permiſſum eſt etiam.

Laicis

Laicis
Fœminis
Iudæis
Infidelibus
Hæreticis
} Si tamen { Id efficere propoſitum fuerit, Quod eccleſia Catholica in eo admi-niſtrationis genere efficit.

Non tamen baptizare debet mulier, ſi mares adſunt.
Laicus item præſente Clerico,
Tum Clericus, coram ſacerdote.

MINISTRIS iſtis ex conſuetudine eccleſiæ uetuſtiſſima adhibentur.

PATRINI, qui olim ſuſceptores, Sponſores, ſeu Fideiuſſores, communi uocabulo, a rerum diuinarum ſcriptoribus uocabantur, & in Patrinis conſiderantur hæc

CAVSA
OFFICIVM, &
NVMERVS

CAVSA ergo cur ad Baptiſmum prȩter ſacramenti miniſtros iſti adiungantur, hæc eſt, ut qui ex Baptiſmi fonte, ſpiritualem uitam uiuere incipiunt, alicuius fidei, & prudentiæ committantur, a quo ad omnem pietatis rationem inſtitui poſsint.

OFFICIVM, quod eſt, ut ſpirituales filios perpetuò commendatos habeant, atque in his, quȩ ad Chriſtianæ uitȩ pertinent inſtitutionem, curent diligenter, ut illi tales ſe in omni uita prȩbeant, quales eos futuros eſſe ſolemni cȩremonia ſpoponderunt,

Primo, ut { Caſtitatem cuſtodiant.
Iuſtitiam diligant.
Charitatem teneant.

&



& { Ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam eos doceant.
Decalogum etiam, & quæ ſint prima Chriſtianæ religionis rudimenta, ut potere-ſponſari in die iudicii de omni exceſſu illorum.

NVMERVS, plures enim ne baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, ſed ut unus tantum, ſiue uir, ſiue mulier, uel ad ſummum unus, & una, à Tridentino Concilio ſtatutum eſt. & hoc propter pericula, quæ conſueuerunt contingere in coniunctionibus matrimonialibus.

Nullus debet effici Patrinus, niſi ſciat dominicam orationem, & ſymbolum, cum filiolum inſtruere teneatur, & in fide ipſius baptizandus ſaluetur, cum ſit eius fidei fideiiuſſor.

Baptiſmus, à bonis, & à malis miniſtris datur, ſicut à bonis, & à malis ſumitur.

Baptizati ab hæreticis, ſeruato charactere Chriſti, rebaptizandi non ſunt, ſed tantum impoſitione manus reconciliandi, ut Spiritum ſanctũ accipiant, & in ſignum deteſtationis hæreticorum.

Qui in maternis uteris ſunt, inquit Iſiodorus baptizari nõ poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundum Adam nõ eſt, ſecundum Chriſtum non poteſt renaſci, neque regeneratio in eum dici poteſt, quem generatio non præceſsit.

Iterum Auguſtinus inquit, non poteſt quiſquam renaſci, antequàm natus ſit. Si de Hieremia, & de Ioanne Baptiſta dicatur, qui ab utero ſanctificari leguntur, Dicendum quod in miraculis habendum eſt diuinæ potentiȩ, non ad humanȩ, trahendum exemplum naturæ; Nam quando uoluit Deus, etiã iumentum loquutũ eſt.

Si à baptizante forma Baptiſmi corrumpatur ſola ignoran-

rantia Romanæ loquutionis, ipſe non inducens uel hæreſin, uel errorem, non poteſt denuò aliquis baptizari.

Immerſus aliquis in flumen, uel balneum in nomine Trinitatis iocosè, non eſt Baptiſmus, quia non intentione baptizandi illud geritur, nam in hoc, & aliis ſacramentis ſeruanda eſt tam intentio, quàm forma.

Baptizandi ſic affecti eſſe debent, ut uelint, propoſitumq; illis ſit baptiſmum ſuſcipere.

Neque uerò in pueris quoque infantibus, cum uoluntatem adeſſe exiſtimandum eſt, cum eccleſiæ uoluntas, quæ pro illis ſpondet, obſcura eſſe non poſsit.

Vbi notandum eſt { AMENTES & FVRIOSOS } Qui cum aliquando compotes mentis eſſent, inſaniam deinde inciderunt, niſi uitæ periculum immineat, & antequàm furere inciperent, uoluntatis Baptiſmi ſuſcipiendi ſignificationem dederunt baptizandos nõ eſſe. Quod ſi in mentis poteſtate nũquàm fuerunt, eos in fide eccleſiæ auctoritas, & conſuetudo ſatis declarat.

Præterea fides etiam ad conſequendam ſacramenti gratiam maximè neceſſaria eſt. Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.

Deinde, ut quemlibet admiſſorum ſcelerum, & malæ actę uitæ pœniteat, atque ut idem in poſterũ à peccatis omnibus abſtinere ſtatuat, opus eſt.

In Baptiſmo non ſolum peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam, & ſcelerum pœnæ omnes à Deo benignè condonantur. Excepto tamen eo pœnarum genere, quæ ciuilibus iudiciis ob graue aliquod ſcelus perſoluendæ ſunt, à quibus per Baptiſmum nemo liberatur.

Ante Baptiſmum fit Cathechiſmus, & Exorciſmus; poſt Cathechiſmum, ſequitur Exorciſmus, ut ab eo qui iam inſtru-



inſtructus eſt fide aduerſaria uirtus pellatur.

Cathechizare eſt inſtruere, ut de Chriſtianæ fidei doctrina, de ſymbolo, & de reliquis fidei rudimentis.

Exorcizare eſt adiurare, eſt enim exorciſmus, qui ad expellendum Diabolum, eiusque uires frangendas, & delibrandas ſacris, & religioſis uerbis, ac precationibus conficitur.

Cathechiſmus, & Exorciſmus ſunt Neophitorum.

Neophitus enim dicitur nouitius, uel rudis, & nuper ad fidem conuerſus, & in diſciplina religioſe conuerſationis rudis. Et in mari rubro figura baptiſmi præceſsit.

Differentia inter baptiſmum, & alia ſacramenta hæc eſt, quia miniſter Baptiſmi poteſt eſſe, aliusque ſacerdos, non autem aliorum ſacramentorum. & hoc quia baptiſmus eſt ſacramentum maximè neceſsitatis.

Contrahit etiam Baptiſmus cognationẽ ſpiritualem, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirrimit iam contractum.

Et ipſum etiam imprimitur character, & ideo non debet iterari, pęna autem illius, qui iteraret, ſecundum leges eſſet decapitatio, & ſecundum Canones non poteſt promoueri ad ſacros ordines, & ſi promotus fuerit debet priuari.

Baptiſmus ſignificat ſepulturam Chriſti (ut in Apoſt.) Cõſepulti eſtis Chriſto per Baptiſmum.

Effectus Baptiſmi, differt ab effectu Circunciſionis, quia iſte delet omnem culpam, tam originalẽ, quàm actualem, confert gratiam, & aperit ianuam regni cœleſtis.

Circunciſio delebat culpam originalem, & cõferebat gratiam, tamen ianuam cœleſtem aperire non poterat, ſed tamen in ſinu Abrahæ poſt mortem requie beata conſolari ſupernæ pacis ingreſſum ſpe fœlici expectabant.

Viri, qui de Abraam ſtirpe prodierunt, per circunciſionem iuſtificati ſunt.

Mulieres uerò per fidem, & operationem bonã, uel ſuam, ſi adultæ erant, uel parentum, ſi paruulæ.

Viri, & Mulieres, qui fuerunt ante circunciſionem; ſi paruuli in fide parentum. Parentes uerò, per uirtutem ſacrificiorum, per eam ſcilicet, quæ in illis ſacrificiis ſpiritualiter intelligebatur, iuſtificabantur. Vnde Gregorius.

Quod apud nos ualet aqua baptiſmi, hoc egit apud ueteres, uel pro paruulis, ſola fides, uel pro maioribus uirtus ſacrificii, uel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, miſterium circunciſionis, &c. &

Ita erat de paruulis, qui moriebantur ante circunciſionem, ſicut eſt de iſtis, qui moriuntur ante baptiſmum. Quia ſicut euangelium terribiliter clamat.

Niſi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu ſancto non intrabit in regnum Dei.

Sic & in lege Abrahæ clamabatur.

Maſculus cuius preputii caro circunciſa non fuerit, anima illa peribit de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Et ingruente neceſsitate mortis, ante octauã diem circuncidebant ſine peccato.

Nec tantum ualet fides aliena paruulo, quantum propria adulto.

Paruulis enim non ſufficit fides eccleſiæ ſine ſacramento, qui ſi abſque baptiſmo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptiſmum, damnabuntur. D. Aug. enim ait.

Firmiſsime tene, qui uel in uteris matrũ uiuere incipiunt, & ibi moriuntur, uel de manibus nati, ſine ſacramento baptiſmi de hoc ſeculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos, quia & ſi propriè actionis peccata non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt, carnali concupiſcentiæ conceptione. Quod non eſt ita de adultis uolentibus, ſed non ualentibus baptizari, ſufficit fides.

DE



# DE CONFIRMATIONE.



CONFIRMATIO eſt conſignatio facta cum chriſmate ab Epiſcopo in fronte baptizati, ad confitendũ audacter nomen Chriſti. &

Confirmatio dicitur ab eo quod huius ſacramenti uirtute, Deus in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari cœpit, noſque ad chriſtianæ ſoliditatis perfectioné adducit, nec uerò confirmat ſolum, ad auget et c. &

Ita uocatur, quoniam qui baptizatus eſt, cum ab epiſcopo ſacro Chriſmate ungitur, niſi aliud ſacramenti efficientiã impediat, nouæ uirtutis robore firmior, atque adeo perfectus Chriſti miles eſſe incipit.

Confirmationis ratio diuerſa eſt, a baptiſmo, nam Melchiades, accuratè diſcrimen utriuſque proſequẽs, ita ſcribit.

1 In Baptiſmate, homo ad militiam recipitur. &
In Confirmatione, coarmatur ad pugnam

2 In fonte Baptiſmatis, Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam.
Confirmatione, autem perfectionem ad gratiam miniſtrat.

3 In baptiſmo, regeneramur ad uitam.
Poſt baptiſmum, ad pugnam confirmamur.

4 In baptiſmo, abluimur.
Poſt baptiſmum, roboramur.

5 Regeneratio per ſe ſaluat in pace, baptiſmum recipientes.
Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones.

C 2 In

In Confirmatione autem, ueram, & propriam ſacramenti rationem Catholica eccleſia ſemper agnouit.

Quod Melchiades, Clemens, Vrbanus, Fabianus, Euſebius — Romani Pontifices.

Et plures alii etiam ſanctiſsimi viri declarant, ut Dionyſius Areopagita, Euſebius Ceſarienſe, Ambroſius, Auguſtinus — Sancti Patres.

Et hoc agnouit ex tribus Sacræ ſcripturæ locis, cũ dicant.

1 Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, Epheſ.4.

2 Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Pſal.132.

3 Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom.5.

Confirmationis, partes ſunt duæ: Materia. Forma.

Materia eſt Chriſma, in qua Chriſma ſunt duo. Oleum oliuarum. & Balſamum.

Sanctificata tamen prius ab Epiſcopo, antequàm ſit materia, oleum ſcilicet conſcientiæ, & Balſamum famæ.

Conficitur ergo ipſum Chriſma ex oleo puriſsimo, quod cum pingue ſit, & natura ſua difluat gratiæ plenitudinẽ exprimit, quæ per Spiritum ſanctum à Chriſto capite in alios redundat, atque effunditur; unxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Pſal.44.

Ac de plenitudine eius nos omnes accepimus. Io.1. & Balſamo poſtea, cuius odoratus, cum ſit iucundiſsimus, quid aliud ſignificat, quàm fideles cum ſacramento cõfirmationis perficiuntur, eam uirtutum omnium ſuauitatem effundere, ut illud Apoſt. queant dicere. Chriſti bonus odor ſumus Deo? 2.Cor.2.



FORMA eius ſunt hæc uerba.

Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Inſtitutum fuit hoc ſacramentum Confirmationis, quando Chriſtus impoſuit manus ſuper capita paruulorum, & Apoſtolis prohibentibus, dixit. Sinite paruulos ad me uenire, Talium enim &c.

Et inſtitutum non quidem ad ſalutis neceſsitatem, ut ſine eo ſaluus quis eſſe non poſsit.

Sed ut eius uirtute optimè inſtructi, & parati inueniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum ſit.

A nemine tamen prætermitti debet, ſed potius maximè cauendum eſt, ne in re ſanctitatis plena, per quam nobis diuina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committantur.

Virtus huius ſacramenti, eſt donatio Spiritus ſancti ad robur, qui in Baptiſmo datus eſt ad remiſsionem.

Rabanvs dicit, omnes fideles per manus impoſitionem epiſcoporum, poſt Baptiſmum accipere debent Spiritũ ſanctum, ut pleni chriſtiani inueniantur.

Confirmatio, & Baptiſmus unumquodque ſacramentum magnum. Sed maius eſt ſacramentum Confirmationis, non ob maiorem uirtutem, & utilitatem, quam confert, ſed quia datur à dignioribus, uel quia maius augumentum uirtutum præſtat, licet Baptiſmus plus ad remiſsionem ualeat.

Non debet quoque hoc ſacramentum iterari, ſicut nec Baptiſmus, nec Ordo, eo quia imprimunt characterem.

Miniſter huius ſacramenti, ſolus eſt Epiſcopus, quem eius conficiendi ordinariam poteſtatem habere oſtendunt plura teſtimonia ſanctorum Patrum atque Pontificum.

Vt

Vt, Vrbani, Euſebii, Damaſi, Innocentii, Leonis, Auguſtiniq; — Sacræque litteræ etiam, ut Act.8.

Patrinus etiam, ut in Baptiſmo fieri demonſtratum eſt, in hoc ſacramento adhiberi ſolet. & talis ut ſciat dominicam orationem, & ſymbolum, ſicut iam dictum eſt.

Et ſunt quatuor genera perſonarum, quas eccleſia non ſuſcipit in Patrinos.

Primum genus eſt Monachus, Abbas, Abbatiſſa, Monialis, & huiuſmodi.

Secundum genus, ſunt infideles.

Tertium, illi qui nondum ſunt confirmati.

Quartum genus eſt, uir & uxor ſimul, niſi prius ambo uotum emiſerint caſtitatis.

Si ambo eundem puerum de fonte leuarent, ſpirituales patres eiuſdem fierent. Vnde ulterius carnaliter commiſceri non debent, nec etiam ut aiunt quidam, aliquis de ſacro fonte leuare debet aliquos de ſua conſanguinitate, præſertim filium proprium, uel filiam, uel uxoris, uel e conuerſo; & ex. de cog. ſp. cap. 1 1. & 1 1 1. quia charitatis dilectio per baptiſmum propagari debet.

# DE ORDINE.



CONSEQVENS erat, cum naturali inſtinctu homines agnoſceret Deum colendum eſſe, ut in quauis Repub. aliqui ſacrorum, & diuini cultus procurationi præficerentur, quorum poteſtas aliquo modo ſpiritualis diceretur.

Atque hæc poteſtas in lege euangelica eſt cœleſtis, omnemq; 



nemque Angelorum etiam uirtutum ſuperat.

Neque à ſacerdotio Moſaico, ſed à Chriſto domino, qui non ſecundum Aaron ſacerdos fuit, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech ortum habet.

Et diuiditur hæc in poteſtatem — ORDINIS, & IVRISDICTIONIS.

ORDINIS, quæ ad uerum Chriſti domini corpus in ſacroſancta Euchariſtia refertur.

IVRISDICTIONIS, quæ tota in Chriſti corpore miſtico uerſatur, ad eam enim ſpectat, chriſtianum populum gubernare, & moderari, & ad æternam, cœleſtemq; beatitudinem dirigere.

ORDO enim & dicitur hæc poteſtas, de quo hoc loco quæruntur duo.

Quid ſignificet, &
Num inter cætera ſacramenta ſacra ordinatio numeranda ſit

Quid ſignificet, & ſit, dicatur.

ORDO eſt ſignaculum quoddam, quo per manuum impoſitionem, & alias cæremonias in adminiſtrationem uerbi, & ſacramentorum ſpecialis poteſtas, & gratia datur ordinato, &c.

Item ORDO, (ſi propriam eius uim, & notionem accipiamus) diſpoſitio ſuperiorum, & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptæ ſunt, ut una ad alteram referatur.

Cum itaque in hoc miniſterio multi ſint gradus, & uariæ functiones, omnia uerò certa ratione diſtributa ſint, & collocata, rectè, & commodè ordinis nomen ei impoſitum uidetur: ſuntque numero nouem, ſed quodammodo ut infra dicetur.

NVM autem inter cætera ſacramenta ſacra ordinatio numeranda ſit. Probatur. — Primo RATIONE. & AVCTORITATE.

Se-

Secundo Concilii Tridentini.

RATIONE. Nam cum ſacramentum, ſit rei ſacræ ſignū, id uerò, quod hac conſecratione extrinſecus fit, gratiā, & poteſtatem ſignificet, quæ illi tribuitur, qui conſecratur, omninò ſequi perſpicuum eſt, ordinem uerè ac propriè ſacramentum dicendum eſſe.

AVCTORITATE, ut in ſacra Scriptura ex uerbis probatur Chriſti. Ioan. 20. Math. 18.

1 Sicut miſit me pater, & ego mitto uos.
2 Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſerit is peccata, remittuntur eis, &c.
Et uerbis Pauli. 2. Tim. 1.
3 Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.

Incipiendi enim ſunt hi ordines à prima tonſura, quæ non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad ordines, diſpoſitio inquam non neceſsitatis, ſed congruentiæ.

Cuius Eccleſiaſticæ tonſuræ, uſus, à Nazareis exortus uidetur, qui prius crine ſeruato, deinde ob uitæ continentiam, caput radebant, & capillos in igne ſacrificii ponebant, Quæ ēt.

TONSVRA dicitur Corona, quod eſt quoddā ſignaculum, quo ſignantur in partem ſortis miniſterii diuini. &

Regale decus Corona ſignificat, quia ſeruire Deo regnare eſt; Vnde miniſtri eccleſiæ Reges eſſe debent, ut ſe, & alios regant, quibus D. Petrus ait, Vos eſtis genus electum, Regale ſacerdotium. &c.

Tonſura ergo rectè dicitur præparatio quædam ad ordines accipiendos, ut enim homines ad Baptiſmum exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent, ita cum tonſo capillo Deo dedicantur, tanquàm aditus ad ordinis ſacramentum illis aperitur.

Quæ fit in capite ad ſimilitudinem Coronæ & hoc; Vel ad Memoriam Coronæ quæ ſpinis contexta Saluatoris noſtri

noſtri



noſtri capiti fuit impoſita; Vel ad declarandam regiam dignitatem, quę iis maxime, qui in ſortem domini uocati ſunt, conuenire uidetur. &

Clerici, qui ſic Tondentur, appellati ſunt; Nam clerus Grecè, Latinè Sors, uel hereditas dicitur. Ideo ergo dicti ſunt.

CLERICI, quia ſunt de Sorte domini, uel quia Deum Patrem habent, nomen ideo hoc illis tunc primum imponitur, & ab eo deductum eſt, quod dominum Sortem, & hæreditatem ſuam habere incipiant.

Generaliter uero CLERICI nuncupari ſunt omnes, qui in eccleſia Dei ſeruiunt. Quorum gradus, & nomina ſunt hęc, Oſtiarius, &c. ut infra. Primus ergo ordo poſt primam tonſoram eſt.

OSTIARIORVM, ad quos oſtiarios pertinet oſtium eccleſiæ cuſtodire, & in ipſum dignos recipere, & ex ipſo indignos repellere, & ſic ipſi claues eccleſiæ tenentes, omnia intus, extraq; cuſtodiunt, atq; inter bonos, & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, infideles reſpuunt, & excommunicatos repellunt.

Oſtiariorum etiam munus eſt ad ſanctum Miſſę ſacrificium aſsiſtere, & curare ne quis proprius, quàm par eſſet ad ſacram aram accederet, & ſacerdotem rem diuinam facientem interpellaret.

Hoc officium dominus in ſua perſona ſuſcepit, quando flagello de funiculis facto, uendentes, & ementes eiecit de Templo, & ipſum impleuit quando dixit,

Attollite portas, principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales.

Ipſe. n. Chriſtus ſe oſtiarium fecit dicens; Ego ſum Oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. &c.

Nos autem hoc officium implemus, dum per fidem in eccleſia aliquem introducimus, uel docemus.

LECTORVM eſt ſecundus, & illi, qui ad hunc gradum

D pro-

prouehuntur, litterarum ſcientia debent eſſe inſtructi, ut ſenſum uerborum intelligant, uim accentum ſciant, diſtinctè legant, ne confuſione prolationis intellectum auditoribus auferant. &c

LECTORVM munus eſt, ea quæ de Chriſto in ueteri teſtamento dicta fuere, proponere, tũ in eccleſia ueteris, & noui teſtamẽti libros clara uoce, & diſtincta recitare lectiones, & pſalmos cantare, Primaq; religionis Chriſtianæ rudimenta fidelibus tradere.

LECTORVM officium impleuit Chriſtus, cum in medio ſeniorum, librum Eſaiæ aperiens diſtinctè ad intelligendum legit. Spiritus domini ſuper me &c.

Hic ordo formam, & initiũ à profetis accepiſſe uidetur, quibus dicitur, clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta uocẽ tuam.

Nos autem hoc officium implemus, dum male uiuentes in eccleſia corrigimus, & aliquẽ bonis moribus inſtruimus.

EXORCISTARVM, ordo eſt tertius, quibus poteſtas data eſt nomen domini inuocandi in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur.

Ad eos ergo pertinet dęmones adiurare, & adiuratum ſpiritum eiicere, uel compeſcere.

Ad exorciſtã itaq; pertinet exorciſmos memoriter tenere, & manus ſuper energumenos, & cathecumenos exorcizando imponere.

Energumeni ſunt, qui a Dęmonibus obſeſſi ſunt, uel lunatici, ſiue morbum caducum patientes.

Cathecumeni autem dicuntur, in fidei articulis ante baptiſmum inſtructi.

Exorciſtarum officio uſus eſt Chriſtus, quando ſaliua ſua, tetigit aures, & linguã ſurdi, & muti dicẽs. Effetta, quod eſt adaperire &c.

Hoc ẽt uſus eſt dominus, cũ dęmoniacos multos ſanauit, & quando de Maria Magdalena ſeptem dęmonia eiecit.

Hic ordo a Salomone uidetur deſcẽdiſſe, qui quẽdam modum



dum exorcizandi inuenit, quo dęmones adiurati ex obſeſſis corporibus pellebantur.

Nos autem hoc officio implemus, dum per noſtras orationes uitium diaboli de homine expellimus.

ACCOLITORVM quartus eſt ordo, ad quos ſpectat Piſidem cum hoſtia, & Vrceolum cum uino, & aqua ad altare portare, Miniſtros maiores, Subdiaconos, & Diaconos in altaris miniſterio aſſectari, eiſq; operam dare, Pręterea etiam, lumina defferunt, cum Miſſæ ſacrificium celebratur, pręcipuè uerò cum Euangelium legitur. ex quo & ceroferarii alio nomine uocati ſunt; eò quia uerè funalia, & cereos, in ſignũ letitię, & ut fideliũ animi ad contenplandã lucẽ euangelicã (quę Chriſtus eſt) incitentur.

Hoc officium dominus ſe habere teſtatur dicens, Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me &c.

Huius officii formam illi gerebant in ueteri teſtamẽto, qui lucernas candelabri componebant, & accẽdebant igne cœleſti ad illuminandas tenebras aquilonares.

Nos autem hoc officium implemus, dum ignem uerbi cœleſtis, quo fratres, ad cognoſcendum dum illuminentur, ea inflamentur prædicando miniſtramus, & dum lucem, boni operis aliis miniſtramus.

SVBDIACONORVM, quintus eſt ordo, qui ideo ſic appellantur, quia ſubiacent præceptis, & officiis leuitarũ, horum eſt munus, Diacono ad altare ſeruire, calicem, & panem ſacerdoti preparare, uinum celebranti miniſtrare, corporalia lauare, epiſtolam legere, & quantum ſufficit de oblationibus conſecrandis ſuper altare ponere, & tandem omnia, quę ad uſum ſacrificii ſunt neceſſaria pręparare. Nuncq; epiſcopo, & ſacerdoti aquam prębere, cum manus in ſacrificio abluunt.

Epiſtolã etiã, quę olim a Diacono in miſſa recitabatur, ſubdiaconus legit, actamquã teſtis ad ſacrum aſsiſtit; prohibetq; ne ſacerdos ſacrafaciẽs a quopiã ꝑturbari poſſit.

Hoc officio uſus eſt dominus, quando linteo ſe præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes diſcipulorum lauit, & linteo terſit, & quando in Chana Galileæ de aqua uinum fecit.

Nos autem hoc officium implemus, cum tantæ munditiæ ſumus, quod noſtro exemplo, & conſilio à ſordibus criminum lauantur.

DIACONORVM eſt ordo ſextus, horũ miniſterium eſt curam pauperum gerere, epiſcopis, & presbyteris miniſtrare, prædicare euangelium, ordinandos, & baptizandos offerre. Epiſcopum perpetuò ſequi, concionantem cuſtodire, eique, & ſacerdoti ſacra facienti, uel alia ſacramenta miniſtranti præſto eſſe, & in Miſſæ ſacrificio euangelium legere. Perueſtigare quoque qui nam in urbe piè, & religioſè, quive ſecus uitam traducãt &c. & miniſtrare denique (ſacerdotibus aſsiſtendo in omnibus, quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, in Baptiſmo ſcilicet, in Chriſmate, in patena, & calice, oblationes quoque inferre, & diſponere in altari.

Hic ordo in ueteri teſtamento, à Tribu Leui nomen accepit, uel traxit, dicuntur enim & Leuitę. Hoc officio uſus eſt Chriſtus, quando poſt cœnam ſacramentũ carnis, & ſanguinis diſcipulis diſpenſauit, & quando Apoſtolos dormientes ad orationem excitauit dicens. Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.

Nos autem hoc officio utimur, cum corpus, & ſanguinem Chriſti diſcretè diſpenſamus, & cum ad orandum, & uigilandum in noſtro exemplo alios hortamur.

SEPTIMVS, ultimusque omnium ſacrorum ordinum ſummus gradus eſt.

SACERDOTIVM, qui uerò illo prædití ſunt, eos ueteres patres appellant interdum.

PRESBYTEROS, quod Gręcè ſeniores ſignificat, non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ huic ordini maximè

ximè



ximè neceſſaria eſt, ſed multò magis propter morũ grauitatem, doctrinam, & prudentiã. & interdũ appellant.

SACERDOTES, tum quia Deo conſecrati ſunt, tum quia ad eos pertinet ſacramenta adminiſtrare, ſacraſque res, & diuinas tractare, prædicare, ſoluere, ligare, & conſecrare.

Hic ordo à filiis Aaron ſumpſit initium, ſummos enim Pontifices, & minores ſacerdotes inſtituit Deus per Moyſem, qui ex pręcepto Dei Aaron in ſummum Pontificem, filios uero eius unxit in minores ſacerdotes.

Hoc officio uſus eſt Chriſtus, cum ſe ipſum in ara Crucis obtulit idem ſacerdos, & hoſtia, & quando poſt cœnam, panem, & uinum in corpus ſuũ, & ſanguinẽ cõmutauit.

MVNERA, poſtea quæ ad ſacerdotem attinent, ſunt duo; quorum

- Alterum eſt, ut ſacramenta ritè conficiat, & adminiſtret.
- Alterum, ut populum ſuum fidei ſuę commiſſum, iis rebus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiat. & quia

ORDO dicitur tripliciter, ideo eſt aduertendum, quod

Primo modo dicitur ordo, in quantum eſt nomen officii, & ſic Pſalmiſtatus eſt ordo.

Secundo modo, eſt ordo, in quantum eſt nomen dignitatis, & ſic epiſcopatus eſt ordo.

Tertio modo, in quantum eſt nomen ſpiritualis poteſtatis, & ſic non ſunt niſi ſeptem annumerati.

Et ſic ſi ordo accipiatur pro ſacramento epiſcopatus non eſt ordo, quia circa ſacramentum Euchariſtiæ, non habet maiorem poteſtatẽ epiſcopus, quàm ſacerdos alius.

Si autem ordo accipiatur pro gradu dignitatis, epiſcopatus eſt ſpecialis ordo, quia habet ſpecialem poteſtatem in actionibus hierarchicis, reſpectu corporis Chriſti myſtici ſuper ſacerdotes.

Septem

Septem ergo ſunt ſoli ordines, qui ſunt ſacramenta, primi quatuor Minores, reliqui uerò maiores uocantur.

Inſtituit Chriſtus hoc ſacramentum ordinis, quãdo in die Cœnæ, poſtquàm communicauit Apoſtolos dixit eis, Hoc facite in meam commemorationem. Tunc enim Apoſtolos in Presbyteros ordinauit.

ORDO Epiſcoporum eſt quadripartitus in

Patriarchis, Archiepiſcopis,
Metropolitanis, & Epiſcopis

Patriarca, Græce ſummus Patrum interprætatur, quia primum tenet locum ſcilicet Apoſtolicum. ut

Romanus, Antiochenus, Alexandrinus,
Hieroſolymitanus.

Sed omnium ſummus eſt Romanus.

Archiepiſcopus, qui princeps eſt epiſcoporum, Archos enim Græce, Latine princeps dicitur.

Metropolitæ dicuntur à menſura ciuitatum, ſingulis enim prouinciis, & ciuitatibus præeminẽt, ſolicitudo enim totius Prouinciæ ipſis epiſcopis commiſſa eſt. Omnes iſti ordines poſtea epiſcopi nuncupantur.

Poſſumus itaque cũ Catechiſmo cõſtanter refferre, Quòd SACERDOTII EXTERNI gradus ſunt dignitatis, & poteſtatis uarii.

Primus gradus quorum, eſt eorum, qui ſacerdotes ſimpliciter uocantur, quorum functiones ſuperius habentur.

Secundus eſt epiſcoporum, qui ſingulis epiſcopatibus præpoſiti ſunt, ut non ſolum cæteros eccleſiæ miniſtros, ſed fidelem populum regant, & eorum ſaluti, ſumma cum uigilantia, & cura proſpiciant, quare in ſacris litteris Paſtores ouium ſæpe appellantur, ſed & dicuntur accepto ab Ethnicis nomine, qui Principes ſacerdotum Pontifices appellare conſueuerunt.

Tertius eſt Archiepiſcoporum, qui pluribus epiſcopis pręſunt, qui Metropolitani etiam uocantur, quod illarum urbium



urbium antiſtites ſint, quæ tamquàm matres habeantur illius prouinciæ.

In quarto gradu collocantur Patriarchæ, & quatuor tantum numerantur, & primus eſt.

Conſtantinopolitanus, quod & ſi ad eũ poſt omnes alios, hic honos delatus ſit, tamen ob imperii maieſtatem, altiorem locum obtinuit.

Alexandrinus eſt ſecundus, cuius eccleſiam Marcus Euangeliſta iuſſu principis Apoſtolorum fundauit.

Antiochenus, tertius eſt, ubi Petrus primò ſedem locauit.

Hieroſolymitanus extremum gradum habet, quàm eccleſiam Iacobus frater rexit.

Præter hos omnes Catholica eccleſia Rom. Pontificẽ Max. ſemper uenerata eſt, uniuerſalique eidem eccleſię catholicæ, ut Petri ſucceſſor, Chriſtique Domini uerus, & legitimus Vicarius præſidet.

Horum, ut & reliquorum ordinum Miniſter eſt Epiſcopus. Nam quamuis permiſſum ſit nonnullis Abbatibus, ut minores, & non ſacros ordines interdũ adminiſtrent, tamẽ hoc propriũ munus epiſcopi, nemo dubitare debet.

Etenim Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes unus tantum Epiſcopus ordinat.

Epiſcopi poſtea à tribus epiſcopis conſecrantur, & hoc ex Apoſtolorum traditione, quæ perpetuò in eccleſia cuſtodita eſt.

Ordinis ſacramentum non debet itaque iterari, eò quia imprimit ſicut Baptiſmus, & confirmatio, characterem.

Sacramenta, quæ ab hæreticis ſacerdotibus, & præciſis celebrantur, uera ſunt, & rata, ſi ſecundum formam eccleſiæ celebrantur (quia & ſi recedentes ab eccleſia) ius dandi, & conſecrandi tamen, non perdiderunt, & qui ſic ab hæreticis ordinantur, cum reddeunt iterum ordinandi non ſunt.

Qui ordinantur ſcienter à ſimoniacis, eorum conſecratio omni-

Inſtitutum fuit hoc ſacramentum à Chriſto in die Cœnæ, quando poſt commeſtionem agni Paſchalis, panem, & uinum in ſuum corpus, & ſanguinem ſuum ſua ineffabili poteſtate conuertit, dicens Apoſtolis.

Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, & ſumpto calice dixit,

Bibite ex hoc omnes, hic eſt.n.calix noui, & æterni, &c.

Hoc ergo ſacramentum, ut iam dixi, uaria habet nomina, interdum enim appellatur.

Euchariſtia, quod uerbum.

{ uel Bonam gratiam<br>uel Gratiarum Actionem } Latinè ſignificat.

Bonam gratiam ſignificat, tum quia uitam æternam, de qua ad Rom. 6. ſcriptum eſt, gratia Dei uita æterna præſignificat.

Tum quia Chriſtum dominũ, qui uera gratia, atq; omnium chariſmatum fons eſt in ſe continet.

Gratiarum Actionem, item aptè eam Euchariſtiam interpretatur: ſiquidem cum hanc hoſtiam immolamus, immenſas quotidie gratias pro uniuerſis in nos beneficiis Deo agimus.

Communio interdum uocatur, quod uerbum ex illo Apoſtoli loco ſumptum eſſe liquet, ubi ait, Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, non ne participatio corporis domini eſt? 1.Cor.10.

Pacis, & Charitatis ſacramentũ interdum uocatur. quo nihil uos ſtudioſius ſeruare, quàm pacem, & charitatem profitemur, & diſsidias, & diſcordias, ut peſtes teterrimas fidelium omnino exterminare.

Viaticum interdum etiam appellatur, tum quia ſpiritualis cibus eſt, quo in huius uitæ peregrinatione ſuſtentamur.

Tum quia nobis uiam ad æternam gloriam, & fœlicitatem





tatem munit.

Cœna itaque, etiam aliquando uocatur, quod in illo nouiſsimæ cœnæ ſalutari myſterio à Chriſto domino ſit inſtituta.

Eſſentia Euchariſtię ſacramenti, conſiſtit in conſecratione materię, & non in uſu eius, ad differentiam aliorum ſacramentorum, quorum eſſentia conſiſtit in diſpenſatione, & uſu materiæ, ſicut eſſentia Baptiſmi conſiſtit in aſperſione aquæ, & prolatione uerborum formæ, & ita eſt de aliis ſacramentis.

Sacerdotes dicuntur conficere corpus Chriſti, & ſanguinem, quia eorum miniſterio ſubſtantia panis fit caro, & ſubſtantia uini fit ſanguis Chriſti. Nec tamen corpus, & ſanguis Chriſti augetur.

Et non ea ratione, dicitur confici uerbo cœleſti, quod ipſum corpus in conceptu Virginis formam deinceps formetur.

Sed quia ſubſtantia panis, uel uini, quę ante non fuerat corpus, uel ſanguis Chriſti uerbo cœleſti fit corpus, & ſanguis.

Nec dicamus ſubſtantiam panis, uel uini, materiam eſſe corporis, uel ſanguinis domini, quia non de ea, ut de materia formatur corpus, ſed ipſa formatur in illud, & efficitur illud.

Sicut in mari rubro figura Baptiſmi pręceſsit, ita figura Euchariſtiæ pręceſsit, quando manna pluit Deus patribus in deſerto, qui quotidiano cœli paſcebantur alimento.

Euchariſtia habet ſimilitudinem cum re miſtica, quæ eſt unitas fidelium, quia ſicut ex multis granis conficitur unus panis, & ex pluribus racemis uinum in unum confluit, ſic ex multis fidelium perſonis, unitas eccleſiaſtica conſtat, unde Apoſt. Vnus panis, & unum corpus multi ſumus.

Euchariſtiæ ſacramentum conſtat duobus.

Viſibili ſcilicet elementorum ſpecię,
Inuiſibili carne, & ſanguine ipſius domini noſtri Ieſu Chriſti.

Euchariſtia indicat nobis tria,

Primum eſt, Chriſti domini paſsio, quę iam præteriit.
Alterum eſt, diuina, & cęleſtis gratia, quæ præſens ad animas alendas, & conſeruandas hoc ſacramento tribuitur.
Tertium eſt, quod futurum prænunciat, æternæ iocunditatis, & gloriæ fructus quem in cœleſti patria ex Dei promiſſione capiemus.

Materia huius ſacramenti duplex eſt.

Altera panis,
Altera uinum ex uitis fructu expræſſum, cui modicum aquæ permixtum ſit,

Panis azimus ex triticea farina, & aqua elementari confectus, Chriſtus enim ipſe primo azymorum die, quo nihil fermentati domi habere Iudæis licebat, hoc ſacramentum confecit, atque inſtituit.

Vinum ex uitis &c. Dominum Saluatorem uino in huius ſacramenti inſtitutione uſum eſſe catholica eccleſia ſemper docuit, cum ipſe dixerit. Non bibam ammodo de hoc genimine uitis uſque in diem illum. Matth. 26. Marc. 14.

Mixtio aquæ, in uino, in calice, ſignificat unionem ſpiritualem Chriſti, & populi fidelis, quæ fit in uirtute ſacramenti huius, iuxta illud Hieremiæ. Aquæ multæ, populi multi. & ut in Apocalypſi legimus, populum deſignat, quare aqua uino admixta fidelis populi cum Chriſto capite coniunctionem ſignificat, & ſic aqua populum ſignificat, qui per Chriſti paſsionem redemptus eſt, & ideo admiſcenda eſt uino.

Cum



Cum ergo in calice uino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur.

Calix domini non poteſt eſſe aqua ſola, nec uinum ſolum debet eſſe, uerùm ſi ſolum uinum conſecraretur uerum eſſet ſacramentum, peccaret autem mortaliter ſi aduertens hoc faceret, niſi utrunque miſceatur, ſicut nec corpus domini poteſt eſſe farina ſola, nec aqua ſola, niſi utrunque fuerit adunatum.

Si aqua prætermittatur ignoranter, non intellecta aliqua hæreſi, non uidetur eſſe irritum ſacramentum, ſed ille grauiter eſt corripiendus.

Aqua ſola nullatenus ſine uino poteſt afferri in ſacrificio, nec panis niſi de frumento, nec granum frumenti, niſi redactum fuerit in panem, quia Chriſtus, & panem dicit, & grano frumenti ſe comparat.

FORMA Euchariſtiæ hæc eſt, panis ſcilicet, hoc eſt enim corpus meum, quę uerba ſunt de neceſsitate ſacramenti, ideo ſunt forma eius. Quæ uerò uerba præcedunt id eſt, qui pridie & ſunt uerba de neceſsitate pręcepti, quæ etiam ſi non dicerentur, tamen ſacerdos conſecraret.

Forma autē ſacramēti Euchariſtiæ .ſ. ſanguinis hæc eſt, &c. Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui, & ęterni Teſtamenti, &c.

Euchariſtiæ ſacramentum duo ſunt modi manducandi

Vnus { Sacramentalis, alter
Spiritualis }

Sacramentalis ſcilicet, quo boni, & mali edunt.
Spiritualis, quo ſoli boni manducant.

D. Auguſtinus diſtinguens ſpiritualem manducationem à ſacramentali, ait. Vt quid paras dentem, & uentrem? Crede, & Manducaſti.

In Catechiſmo ex Concilio Tridentino tres Euchariſtiæ ſumendæ diſtinguatur rationes.

Alii

Alii enim ſacramentum tantum accipiunt,at peccatores, qui ſacra miſteria impuro ore,& corde accipere non uerentur,quos Apoſt.ait indigne manducare,& bibere corpus domini.

Alii ſpiritu tantummodo Euchariſtiam ſumere dicuntur, & ii ſunt, qui deſiderio, & uoto, propoſitum cœleſtem illum panem comedunt,fide uiua intenti, quæ per dilectionem operatur.

Alii enim ſacramento,& ſpiritu Sacram Euchariſtiam percipiunt,qui cum ex Apoſtoli doctrina prius ſe probauerint,ac ueſte nuptiali ornati, ad diuinam hanc menſam. ex Euchariſtia capiunt,uberrimos fructus.

Corpus Chriſti ſumitur tã a bonis,quàm a malis. A bonis ſumitur,non modo ſacramentaliter, ſed & ſpiritualiter. A malis tantummodo ſacramentaliter ſumitur,ideſt ſub ſacramento ſcilicet, ſub ſpecie uiſibili, Caro Chriſti de Virgine ſumpta,& ſanguis pro nobis fuſus, ſed non miſtica, quæ tantum bonorum eſt.

Cum ſumitur Sacramentum Euchariſtiæ ſumitur.

{ Sacramentum. & }<br>{ Res ſacramenti. }

Sumere Sacramentum, dicitur ſumere corpus Chriſti proprium de Virgine natum.

Sumere Rem ſacramenti,dicitur ſumere ſpiritualem Chriſti Carnem.

Bonus ergo utranq; Chriſti carnem accipit.

Malus uero tantum ſacramentum, ideſt corpus Chriſti ſub ſacramento,& rem ſpiritualem.

Corpus Chriſti,& Veritas eſt,& figura.

Veritas dum corpus Chriſti,& ſanguis uirtute ſpiritus ſancti,ex panis,uiniq; ſubſtantia efficitur.

Figura uero eſt,id quod exterius ſentitur.

Omnibus ſancitum eſt ut fiat hæc ſumptio quotãnis, ſemel ad minus in Paſcha;ut in Concilio Agathenſi primo, & aliis



aliis multis,& Lateranenſi ſub Innocentio III.

Sub duplici ſpecie ſumitur ſacramentum Euchariſtiæ,non obſtante quod ſub alterutra totus ſit Chriſtus. Ob id ut oſtenderetur totam humanam naturam aſſumpſiſſe, ut totam redimeret.

Panis enim ad carnẽ refertur, Vinum ad animam.Quia vinum operatur ſanguinem,in quo ſedes animæ a Phiſicis eſſe dicitur.

Ideo ergo in duabus ſpeciebus celebratur, ut animæ, & carnis ſuſceptio in Chriſto,& utriuſq; liberatio in nobis ſignificetur.

Sub utraq; ſpecie totus ſumitur Chriſtus, nec plus ſub utraque nec minus, ſub altera tantum ſumitur.

Eadẽ ratio eſt in corpore Chriſti,quæ in manna præceſſit de quo dicitur; qui plus collegerat nõ habuit amplius, nec qui minus parauerat habuit minus.

Eccleſiæ lege interdictum eſt,ne quis ſine ipſius eccleſiæ auctoritate,præter ſacerdotes,corpus domini in ſacrificio conficientes,ſub utraq; ſpecie ſacrã Euchariſtiã ſumat.

Quæ conſuetudo,ab eccleſia multas ob cauſas approbata eſt, potiſsimum ad conuellendam eorum hæreſim, qui negabant ſub utraq; ſpecie totum Chriſtum eſſe,ſed corpus tantum exangue,ſub panis;ſanguinem,autem ſub uini ſpecie contineri,aſſerebant.

Licet ſub utraq; ſpecie idem ſumatur totus Chriſtus,tamen nõ ſit cõuerſio panis niſi in carnẽ, nec uini in ſanguinẽ.

Corpus Chriſti cum ſit incorruptibile ſanè dici poteſt FRACTIO,& PARTITIO illa quæ fit. Non in ſubſtantia corporis,ſed in forma panis ſacramentaliter fieri,ut uera FRACTIO,& PARTITIO ſit ibi, quæ fit non in ſubſtantia corporis,ſed in ſacramento,ideſt in ſpecie.

Nec ergo miretur aliquis,ſi Accidentia uideantur frangi, cum ibi ſint ſine ſubiecto,licet quidam aſſerant,ea fundari in aere. Eſt enim ibi uera Fractio, & Partitio, quæ fit in

in pane ideſt in forma panis.

Fructus Euchariſtiæ,inter alios multos,eſt,ut ipſa Euchariſtia,nos a criminibus puros, & integros, atq; a tentationum impetu incolumes ſeruat, carnis libidinẽ cohibet, ac reprimit,& concupiſcentiæ ardorem reſtinguit. Gratiam in animam influit,cum eam purè,& ſanctè quis accipit. Qui enim pietatis,& religionis ſtudio affecti hoc ſacramentum ſumunt,Chriſti corpori tamquàm uiua mẽbra inſeruntur,ſi quidem ſcriptum eſt, Qui mãducat me, & ipſe uiuet propter me.

In hoc ſacramento,miſteria tria admiranda conſiderãtur.

Primum quod ſit uerum Chriſti domini corpus,illud idem quod natum ex virgine,in cœlis ſedet ad dexteram patris, hoc ſacramento contineri.

Alterum eſt,nullam in eo elementorum ſubſtantiam remanere, quamuis nihil magis a ſenſibus alienum, & remotum uideri poſit.

Tertium eſt,quod ex utroq; facile colligitur,& ſi uerba conſecrationis id maxime exprimunt accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut aliis ſenſibus percipiũtur,ſine ulla re ſubiecta eſſe, mira quadã, atq; inexplicabili ratione.

Veritas ipſius corporis,&ſãguinis chriſti explicata,ꝓbatur.

Ex uerbis { Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus Math.26. Mar.14. Luc.22.& Pauli.1.Cor.10.& 11.

Ex communi ſententia patrum præcipuè uero. { Ambroſii, Chriſoſtomi, Auguſtini, & Cirilli &c.

Ex auctoritate conciliorum ſpeciatim. { Vercelenſis, Turonenſis, Romanorum duorum, Lateranenſis ſub Innocentio III. Conſtantienſis, Florentini, Tridentini, &c. } Aduerſus Berengarium.

Ex



Ex auctoritate itaque ſymboli Apoſtolici.

Cum enim Dei ſummam omnium rerum poteſtatem fideles credunt, & confitentur,credant etiam neceſſe eſt,poteſtatem ei non defuiſſe maximi huius operis efficiendi, quod in Euchariſtiæ ſacramẽto admiramur, & colimus. Deinde cum credunt ſanctam eccleſiam catholicã, neceſſariò ſequitur, ut ſimul credant eam eſſe huius ſacramenti ueritatem, quę explicatur, & tenetur.

Ex concomitantia eius oſtenditur, uſque adeò tam in panis, quàm in uini ſpecie contineri totum Chriſtum, ut quemadmodum in panis ſpecie, non corpus modo, ſed etiam ſanguis, & totus Chriſtus uerè ineſt. Sic contra in uini ſpecie,non ſolum ſanguis,ſed corpus,& totus Chriſtus uerè inſit. Neque uerò ſolum in utraque ſpecie, ſed in quauis utriuſque ſpeciei particula, totum Chriſtum contineri, Auguſtinus ſcriptum reliquit. Singuli accipiunt Chriſtum dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integram ſe præbet in ſingulis.

Tota unius rei ſubſtantia in ſacramento euchariſtiæ; in totam alterius rei ſubſtantiam tranſit, ideo à maioribus noſtris iſta conuerſio appellatur tranſubſtantiatio, quæ probatur

Ex auctoritate Chriſti,cum in eius ſacramenti inſtitutione ipſe dixit. Hoc eſt corpus meum. Vocis enim, HOC, ea uis eſt, ut omnem rei præſentis ſubſtantiam demonſtret. Quòd ſi panis ſubſtãtia remaneret nullo modo uerè dici uideretur. Hoc EST corpus meum.

Deinde Chriſtus dominus apud Ioan. 6. Panis inquit, quẽ ego dabo,caro mea eſt pro mundi uita. Panem uidelicet carnem ſuam uocans.

Ex auctoritate etiam probatur Conciliorum

{ Lateranenſis Magni, Florentini, Tridentini, Ambroſii, Hilarii, Auguſtini, & Damaſceni }

F Qui

Qui unanimes conſenſu fatentur omnes.

Ante cõſecrationẽ panẽ eſſe,&vinũ qđ natura formauit.
Poſt conſecrationem uerò Carnem Chriſti, & ſanguinem, quod Benedictio conſecrauit; ita vt, Corpus ſecundum ueritatem coniunctum ſit diuinitati.

Non quòd ipſum corpus aſſumptum,de cœlo deſcendat, ſed quòd ipſe panis, & uinum in corpus, & ſanguinem Chriſti tranſmutetur. &

Declaratur modo ipſius conuerſionis.

Quę ita fit; ut tota panis ſubſtãtia,diuina uirtute,in totam corporis Chriſti ſubſtantiã,ſine ulla domini noſtri mutatione,cõuertatur,neq;.n.Chriſtus aut generatur,aut mutatur,aut augeſcit, ſed in ſua ſubſtantia totus permanet.

Species.n.quæ ante fuerant,remanẽt,ſ.Sapor,&Pondus.

Poſt ergo conſecrationem non eſt ibi ſubſtantia amplius panis,uel uini,ſed in illa immolationis hora, ad Sacerdotis uocem cœlos aperiri non dubium eſt, & unum effici corpus Chriſti uerum, & illud uerè, & illud ſanè quod ſumptum eſt de virgine, quod reſurrexit,& quod in cœlum aſcendit.

Licet ſpecięs,&accidẽtia remaneãt, eſt.n.ibi ſpecies panis, & uini,ſicut,&ſapor undealiud uidetur,aliud intelligitur.

Remanent igitur illa accidentia,quæ potius exiſtunt ſine ſubiecto,quàm in ſubiecto, quia ibi non eſt ſubſtantia, niſi corporis,& ſanguinis Domini,quæ non afficitur illis accidentibus, non enim corpus Chriſti habet talem in ſe formam,ſed qualis in iudicio apparebit.

Sunt ergo illa accidentia per ſe ſubſiſtentia ad miſterii ritũ, ad guſtus,fideiq́; ſuffragium; quibus,corpus Chriſti habens formam,& naturam ſuam,tegitur.

Sacrificium hoc,fit uni Deo,nam & ſi eccleſia interdũ miſſas in memoriam, & honorem Sanctorum celebrare conſueuit,non tamen illis ſacrificium, ſed uni Deo, qui ſanctos immortali gloria coronauit, offerri docuit

Sacro-



Sacroſanctum miſſæ ſacrificium,prodeſt non ſolum immolanti,& ſumenti,ſed omnibus,& etiam fidelibus,ſiue illi nobiſcum in terris uiuunt, ſiue illi iam in domino mortui nondum planè expiati ſint.

Offertur quotidie in Miſſa diuina. Neq; enim cruenta, & & incruenta Hoſtia; duæ ſunt Hoſtiæ,ſed unum,idemq́; ſacrificium eſſe fatemur,& haberi debet, quod in miſſa peragitur, & quod in cruce oblatum eſt: Quemadmodum una eſt,& eadem Hoſtia Chriſtus, videlicet Dominus noſter,qui ſe ipſum in ara crucis, ſemel tantummodo cruentum immolauit.

Debet itaq; dici Miſſa generaliter pro omnibus uiuis,& de functis mortuis in ſtatu Purgatorii,& pro paruulis baptizatis mortuis. nõ quia eis proſint ad remiſsionẽ alicuius culpę,uel ad augmentũ glorię,ſed propter alias rationas Tum propter ſolatiũ uiuorũ,tum ad oſtendendũ paruulos ad unitatẽ corporis miſtici pertinere. Tum ad commendandum miſterium redemptionis,quod in hoc Sacramento commemoratur per quod paruuli, ſine proprio merito ſalutem ęternam conſequuntur.

Hoc ſacroſanctum ſacrificium Miſſæ, non in mari nec fluminibus debet celebrari,ne nutante naui fiat ſanguinis effuſio,uel ſacramenti commotio.

Quilibet ex præcepto tenetur die dominico audire Miſsã, & totam, ita quòd accipiat benedictionem ſacerdotis, ut de conſ.diſt.1.miſſas.

Vtilior Miſſa quę poſsit dici tàm pro uiuis,quàm pro mortuis,eſt miſſa de die,hoc habetur ex.de celeb.Miſſar.c.2. & ẽt, quod In diebus profeſtis ꝑ miſſas peculiares,ſeu uotiuas,uel ẽt mortuorũ, nõ dẽt derogari miſſæ de Die.

Sacerdos celebrãs Miſſam, cauſa aliqua rationabili, poteſt infirmo alicui dare partem hoſtiæ, & aliam partem per ſe ſumere.

Si celebrans poſtquàm ſumpſerit communionem aduertit

F 2 ha-

habere aliam hoſtiam, quę ſibi ſuperfuit, ſi commodè non habet unde eam conſeruet, dummodo ſit ieiunus, licèt ei ſumere, reliquias uerò, quę ſuperfuerunt poteſt etiam non ieiunus, hoc eſt poſt purificationem ſumere propter eorum paruitatem.

Si cadit Muſca, uel Aranea in calice ante conſecrationem, proiiciat illud uinum, & accipiat aliud cũ aqua, & faciat ſic, ut infra dicetur. i. incipiat, a Deus q humanę ſubſt.

Si cadit poſt conſecrationem; extrahat, & lauet, & reponatur illud uinum cum aliquo uaſe, & ſi dubitatur de uomitu, aut ueneno ſumatur aliud uinum, & conſecretur, ut infra habebitur mentio.

Qui ſine indumentis debitis, igne, calice, corporalibus, altari lapideo, & tribus tobaleis ſuper ſe, & miſſali, hoſtia azima, uino, & aqua celebraret, mortaliter peccaret, & ab officio deponi deberet, & beneficio, tamen non fieret irregularis.

Cum aliquis celebrando Miſſam perpenderit debitam materiam non fuiſſe miniſtratã, & hoc aduerterit ante conſecrationem canonis.

Si defectus erit in hoſtia accipiat aliam, & reincipiat ſacerdos, à Svscipes ſancte pater, qua dicta, omiſsis aliis dicat. Veni ſanctificator, &c. & ſic omnibus aliis omiſsis proſequatur ubi erat.

Si fuerit in uino ipſe defectus incipiat ſacerdos. à Devs qvi humanæ ſubſtãtię, cũ orõne offerrimvs, & alia Veni ſanctificator. & omiſsis aliis proſequatu rubi admiſit.

Si Sacerdos conſecrauerat, & poſt conſecrationem deprehendat, quod defectus erat in uino, incipiat ab oratione, Simili modo, uſque ad orationem, Vnde & memores, & aliis omiſsis proſequatur ubi dimiſit.

Si defectus fuerat in hoſtia, & iam conſecrauerat uinum, accepta alia hoſtia incipiat ab illa oratione. Qvi Pridie quàm pateretur, &c.

Sed



Sed non dicat, qui, ſed dicat loco illius relatiui, qui, Dominvs noſter Ieſus Chriſtus pridie quã pateretur &c. vſque ad orationem Simili modo, & omnibus aliis omiſsis proſequatur ubi dimiſit.

Si niſi poſt ſumptionem hoſtiæ aduertat, quod non erat triticea, aut debita, non obſtante quod non ſit ieiunus, accipiat aliam debitã, & incipiat Dominvs noster Ieſus Chriſtus pridie quã pateretur, uſque ad Simili Modo, & aliis omiſsis ſumet eam, & proſequatur ubi omiſerat.

Si ſumpto corpore inueniet aliquam materiam loco uini in calice quam bibit, alia hoſtia, & aliud uinũ eſt ſumendum, & conſecrandum. Dicet hoc D. Tho. ſed Scotus tenet quod eſt accipiendum ſolum uinum cum aqua, & dicendum; Simili Modo poſtquàm dominus noſter Ieſus Chriſtus cœnauit, &c. accepit calicẽ, &c. uſq; ad Vnde & memores, & aliis omiſsis dicat, Sangvis domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animã meã in uitam æternã, &c.

Sacerdos is habet aquam in ore, & antequàm deglutiat aduertat. ſputem in calice, & extrahat hoſtiæ particulam, & aquam reponat in alio uaſe, & accepit uinum, & conſecret, à Simili modo uſque ut dixi ſupra, & in eo ponat particulam, & ſumat.

Si deglutiſſet aliquãtulum ipſius aquæ, & crederet propter hoc non eſſe ieiunus, & itaque nõ eſſet, non propter hoc debet deſiſtere in perficiendo Miſſam, quia maius eſt præceptũ, quod ſumatur integrè, quàm ieiuno ſtomaco.

Perfuſio, poſt ſumptionem ſanguinis debet fieri cum uino.

Sacerdos celebrans debet ſumere corpus, & ſanguinẽ, ſed ſi deficit in Miſſa, alius, qui ſit ieiunus ſuppleat.

Nominatio aliqua non eſt neceſſaria fieri in aliquo Memento.

Congelatio uini in calice, reſoluatur ante conſecrationẽ, & ſi etiam non reſoluatur tamen conficitur.

Si caſus alicuius infirmi, dum celebratur, eueniret, tunc ſacerdos

cerdos poteſt ei dare partem hoſtiæ, & aliã ipſe ſumat.

Cibi remanentes in ore trahuntur per modum ſaliuę, ideo ſacrificium Miſſæ non impediunt.

Etiam ſi deglutiatur ſtilla aquæ lauando ſe, nõ impedit niſi fuerit cum propoſito.

Si gutta ſanguinis ceciderit ſuper tabulam, lambatur, radatur, & comburatur. ſi in linteum abluatur tribus uicibus, & aqua ablutionis fondatur inter altare.

Si ſine rationabili cauſa ſacerdos deſiſtit à Miſſa, peccat mortaliter, alter non.

Si ſumendo ſanguinem, remaneret particula debet digito ad labium calicis adducere, & ſumere.

Ieiunus non poteſt celebrare, niſi ante mediam noctem aliquid ſumpſerit.

Si omittit aliquid ſcienter, peccat mortaliter, tamen conſecrat, ſi ibi ſit materia, & forma, & intentio cõficiendi.

Sacerdos ſi non dormit, per totam noctem, tamen cibus eſt digeſtus poteſt celebrare.

## DE ESTREMA VNCTIONE.



EXTREMA unctio, eſt ſacramẽtum quod uocatur propriè unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per epiſcopum conſecrato.

Tria quoque ſunt genera unctionis.

Prima eſt Vnctio, qua Catecumini, & Neophiti unguntur in pectore, & inter ſcapulas, in Baptiſmi perceptione.

Secunda



Secunda eſt unctio, quæ fit in chriſmate, & dicitur principalis unctio, quia principaliter in ea paracletus datur, in qua & oleum conſcientiæ, & balſamum bonæ famæ.

Tertia eſt, quæ dicitur oleum infirmorum.

Hoc ſacramentum, iccircò extrema vnctio appellatum eſt, quòd hæc omnium ſacrarum vnctionum, quas dominus ſaluator noſter eccleſiæ ſuæ commendauit, ultima adminiſtranda ſit.

Quare hæc ipſa vnctio, à maioribus noſtris ſacramentum etiam unctionis infirmorum, & ſacramentum exeuntium dicta eſt.

Requiritur quoq; in iſta unctione id, quod in aliis; ſcilicet. Quòd aliud eſt ſacramentum. Aliud res ſacramenti.

Sacramentum eſt ipſa unctio exterior.

Res ſacramenti unctio interior, quæ peccatorum, remiſſione, & uirtutum ampliatione perficitur. & ſi

Ex negligentia hoc ſacramentum prętermittatur, uel ex contemptu, periculoſum eſt, & damnabile.

MATERIA huius ſacramenti extremæ unctionis, eſt oleum oliuarum ab Epiſcopo benedictum, & ratio quare hoc oleum; eſt quia Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum fieri in oleo, quando miſit Apoſtolos ungere infirmos, & eos ſanare, intendens, de hoc oleo oliuarum, quia oleum ſimplicius eſt.

Ratio autem propria ſacramenti quod conueniat extremę unctioni, &

Probatur ex uerbis Diui Iacobi Apoſtoli. Infirmatur quis in uobis? inquit inducat presbyteros eccleſiæ, ungentes cum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, &c. &

Probatur auctoritate Conciliorum, tum aliorum plurium, tum Tridentini, quod hanc catholicæ eccleſię de extrema unctione doctrinã fuiſſe perpetuam, ita declarat, ut in eos omnes anathematis pœnam conſtituerit, qui aliter

ter docere, aut ſentire audeant. &

Probatur etiam teſtimoniis { Innocentii, Dionyſii, Ambroſii, Chryſoſtmi, & Gregorii Magni }

qui hoc ſacramentum fidelibus maximè commendarunt.

MATERIA, ut iam dixi, eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum, liquor ſcilicet, non ex quauis pingui, & craſſa materia, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus.

Aptiſsimè autem hæc materia illud ſignificat, quod ui ſacramenti interius in anima efficitur, nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita ſacramenti uirtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit.

FORMA uerò ſacramenti, eſt uerbum, & ſolemnis illa præcatio, quàm ſacerdos ad ſingulas actiones adhibet, cum inquit. Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuã piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid peccaſti per uiſum, per auditum &c.

Inſtitutum fuit hoc ſacramentum, quando Chriſtus apoſtolos miſit ungere, & ſanare infirmos, & promulgatũ fuit à Iacobo in ſua canonica. Infirmatur quis in uobis, &c. In quo oſtenditur duplici ex cauſa, ſacramẽtum hoc inſtitutum; ſcilicet ad peccatorum remiſsionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem, &c.

Miniſter huius ſacramenti, eſt ſacerdos ritè ordinatus, non tamen quiuis, ſed proprius paſtor, qui habeat iuriſdictionem, uel alius, cui ille eius muneris fungendi poteſtatem fecerit.

Non totum corpus, neque omnes corporis partes ungendæ ſunt, ſed ea tantum membra, in quibus potiſsimum ſentiendi uis eminet pura.

Oculi.



{ Oculi, Aures, Nares, Os, Manus, Renes, & Pedes. } { Viſionem, Auditum, Odoratum, Guſtum, Tactũ, Libidinẽ, & Ingreſſum. }

Effectus Extremæ Vnctionis principalis eſt, quædã ſanatio ſpiritus, quæ datur contra quandam debilitatem, uel ineptitudinem, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, uel originali, contra quam debilitatem homo roboratur per hoc ſacramentum. Et quia hoc robur gratiam facit, quę ſecum non compatitur peccatum. Ideo ex conſequenti ſi inuenit peccatũ aliquod ueniale, uel mortale, quo ad culpam tollit ipſum dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Tho. in 4. d. 23.

Characterem nõ imprimit hoc ſacramentum, quia per ipſum non deputatur homo, ad aliquod ſacrum agẽdum, uel ſuſcipiendum.

Extrema hæc vnctio adhibenda eſt, tunc, Cum graui morbo afflictamur, ac uitę periculum impendet.

Semel tantum in una, eademq; ęgrotatione.

Sed quoties poſtea quiſpiam in aliud uitæ diſcrimen incĩderit, toties eiuſdem ſacri ſubſidium ei poterit adhiberi.

Extrema hæc vnctio conferenda eſt, niſi adultis infirmis in periculo mortis conſtitutis ex ipſa infirmitate.

Vnde nec datur illis, qui uitæ periculum adeunt, uel quia periculoſam nauigationem parẽt, uel quia prœlium inituri ſint, a quo certa mors illis impendeat, uel etiam ſi capitis damnati ad ſupplicium reparentur, quia talis mors non imminet ex defectu naturæ, ſed ex euentu fortunæ.

Omnes pręterea, qui rationis uſu carent.

Pueri quoq; qui nulla peccata admiſerunt.

Amentes item, & furioſi, niſi interdum rationis uſum habuiſſent, & eo potiſsimum tempore, pii animi ſignificationem dediſſent, petiiſſentq; ut ſacro oleo ungerentur, ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt.

G His

His autem qui pro ſenio deficiunt, etiam ſine actuali infirmitate datur.

Vtilitatum, Vna eſt, hoc ſacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leuiora ueniali remittit; exitiales enim culpę pænitentiæ ſacramento tolluntur.

Altera eſt, quod animam a langore, & infirmitate quam ex peccatis contraxit, & a cęteris omnibus peccati reliquiis liberat, eamq; pio ac ſancto gaudio replet.

Pręterea fidelibus arma, & uires hoc ſacramento ſubminiſtrantur, quibus aduerſarii uim, & impetum frangere, & illi fortiter repugnare poſſint.

# DE MATRIMONIO.



MATRIMONIVM, Chriſtianorum, ex communi Theologorum, ſententia, ſic definitur, quod ſit, Viri, & Mulieris maritalis coniunctio inter legitimas perſonas, indiuiduam uitę cōſuetudinem retinens.

Dicitur Matrimonium ab eo quod fœmina iccirco maximè nubere debet, ut mater fiat, uel quia prolem concipere, parere, educare matris, munus eſt. & dicitur

Coniugium a coniungendo, quod legitima mulier cum uiro, quaſi uno iugo adſtringantur. Hoc eſt maris, & fœminæ coniugatio, coniunctioq; conſortium communis uitæ diuini, & humani iuris communicatio. dicitur quoque

Nuptiæ, quia ut inquit D. Ambroſius pudoris gratia puellæ

ſe



ſe obnuberent: quo etiam declarari uidebatur uiris obedientes, ſubiectasq; eſſe oportere.

Matrimonium contrahitur ſolo conſenſu, qui ſi ſolus deſit cætera cum ipſo coitu celebrata fruſtantur.

Ex quo enim vir per uerba de præſenti conſentii maritaliter effectu in mulierem, & mulier in uirum, ſiue uerbis conſuetis dicit. Accipio te in meam: & illa dicit, & reſpōdit, Accipio te in meum. Vel ſic, Volo te de cætero habere in uxorem: & illa dicit, Volo te habere in uirum, uel quibuſcunq; uerbis, uel ſignis exprimatur conſenſus ſtatim eſt matrimonium.

Efficiens cauſa matrimonii, eſt conſenſus, non quilibet, ſed per uerba expreſſus; nec de futuro, ſed de pręſenti: & ſi de futuro fuerint nō eſt conſenſus efficax matrimonii.

Et ſi aliquis uerbis exprimat, & explicet conſenſum: & tamen corde nolit, ſi non ſit coactio ibi, uel dolus, obligatio illa uerborum quibus conſentiunt matrimonium facit.

Voluntas, & Pactio coniugalis facit matrimonium, nō autem coitus, nec defloratio uirginitatis. Solum eo tempore, quo intercedit conſenſus uoluntarius, ac maritalis (qui ſolus facit matrimonium) ueri coniuges ſunt, ſponſus, & ſponſa.

Ex pactione coniugali, ſponſi, & ſponſæ fiunt ante coitum; in coitu uero efficiuntur coniuges.

Coniugati, nec continentiam profiteri, ſine communi conſenſu ſeruare ualent, nec habitum religionis ſumere, uel monaſterium ingredi, niſi uterq; & continentiam, & unanimes opinionem pariter profiteatur, & ſi fecerint reuocari debent.

Sponſi poſſunt ſine communi conſenſu, & altero eorum inuito, & nolente monaſterium eligere, & ingredi, quo facto; cui remanſit in ſeculo licet etiam ducere.

Matrimonium multis modis dicitur.

Nam aliud eſt. { Legitimum, aliud / Clandeſtinum. }

Legitimvm eſt quando ab his, qui ſuper fœminas poteſtatem habent, vxor petitur, & a parentibus deſpõſatur, & legibus dotatur, ac a ſacerdotibus, ut moris eſt (prius denunciationibus factis) benedicitur, & a paranimphis cuſtoditur, ac ſolemniter accipitur.

Clandestinvm autem eſt, quando fit ſine ſolemnitatibus prædictis, & qui ſic contrahunt, exponunt ſe magno periculo, quia non poteſt probari contractus, qui in occulto eſt factus.

FORMA huius ſacramenti, ſunt uerba, ſiue alia ſigna, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur. Et ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubiectos, qui ſunt loco materialis elementi.

Sic ſacramentum matrimonii habet pro materia ipſos actus, quia perficitur per actum eius, qui ſacramento ipſo vtitur. Vnde Apoſt. Eph. 5. dicit: Sacrm hoc magnum eſt.

Matrimonium tribus de cauſis ineundum eſt.

Prima cauſarum ergo (cur uir, & mulier coniungi debeat) eſt hęc ipſa diuerſi ſexus naturę inſtinctu expedita ſocietas, mutui auxilii ſpe conciliata, ut alter alterius ope adiutus uitæ incõmoda facilius ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

Altera eſt procreationis appetitus, non tam quidẽ ob eam rem, ut bonorum, & diuitiarum hæredes relinquantur, quã ut uerę fidei & religionis cultores educẽtur Tob. 6.

Tertia eſt, ut qui ſibi imbecillitatis ſuę conſcius eſt, nec carnis pugnam uult ferre, matrimonii remedio, ad uitanda libinis peccata, utatur. 1. Cor. 7.

BONA Matrimonii ſunt Tria, uidelicet

{ Fides / Proles / Sacramentvm. }

In



In Fide attenditur, ne poſt uinculum coniugale cum alio, uel alia coeatur, hoc eſt, Primum bonum eſt Fides, nõ ille uirtutis habitus, quo imbuimur, cum baptiſmum percipimus, ſed fidelitas quædam, qua mutuo vir uxori, ita ſe obſtringit, & alter alteri ſui corporis poteſtatem tradat, ſanctumq; illud cõiugii fœdus nunquam ſe uiolaturum polliceatur.

In Prole, ut amanter ſuſcipiatur, religioſè educetur, hoc eſt,

Secundum bonum eſt Proles, hoc eſt liberi, qui ex iuſta, & legitima ſuſcipiuntur uxore, id enim tanti fecit Apoſtolus, ut diceret, Saluabitur mulier per filiorum generationem. 1. Timoth. 2.

In Sacramento, ut coniugium non ſeparetur, & dimiſſus, uel dimiſſa ne cauſa prolis alteri coniungatur, hoc eſt,

Tertium bonum eſt ſacramentum, uinculum ſcilicet matrimonii, quod nunquam diſſolui poteſt. Nam (ut eſt apud Apoſtolum) Dominus prçcepit uxorem a uiro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere inuptam, aut uiro ſuo reconciliari, & uir uxorem non dimittat. 1. Cor. 7.

Duobus modis ſeparantur coniuges.

{ Sacramentaliter, & / Corporaliter }

Sacramentaliter ſeparari non poſſunt dum uiuunt, Manet enim uinculum coniugale inter, eos etiam ſi aliis a ſe diſcedentes adhæſerint.

Corporaliter uero poſſunt ſeparari, cauſa fornicationis, uel ex communi conſenſu cauſa religionis, ſiue ad tempus, ſiue uſq; in finem.

Inſtitutum fuit autem hoc ſacramentum in Paradiſo terreſtri, & ante peccatum, per uerba de profetico ore prolata, quæ ſunt,

Hoc nunc os de oſſibus meis, & Caro de carne mea, & pp hoc dimittet homo, patrẽ, & matrẽ, & adhærebit uxori

ſuæ, &

ſuæ,& erunt duo in carne una.

Et ſicut alia ſacramenta ſumpſerunt exordium poſt peccatum,& propter peccatum.

Iſtud ſacramentum matrimonii, fuit inſtitutum, & ante peccatum,& poſt peccatum, non tamen ad remedium, ſed ad officium.

Duplex ergo fuit inſtitutio matrimonii; In Paradiſo, ubi eſſet Thorus immaculatus,& Nuptiæ honorabiles, ex quibus ſine ardore conciperent, & ſine dolore parerent.

Altera poſt peccatum, ad remedium facta extra Paradiſum propter illicitum motum deuitandum.

A Chriſto quoque fuit inſtitutum quando in utero virginis uoluit naturam humanam naturæ diuinæ unire, & in unitate ſui ſuppoſiti, ſeu perſonę, quæ unio ſignificat matrimonium.

Si quis deſponſauerit, vxorem uel ſubarrauerit, poſt modum præueniente die mortis, uel irruentibus quibuſdam cauſis eam non cognouerit. nec frater eius, nec alius de conſanguinitate eius eandem ſibi tollat in vxorem, ullo unquam tempore, & ſi inuentum fuerit factum, ſeparetur omnino. Greg. 22. & 27. q. 2. cap. ſi quis uxorem. & Deut. 22.

Illa ſponſa, quæ tantum in futuro eſt pacta mortuo ſponſo non remanet uidua, quia non fuerat uir eius.

Vnde ſi quis eam duxerit ad ſacros ordines non prohibetur, quia non duxit uiduam. viduæ enim maritus, ęque ſicut Bigamus ſacerdos fieri prohibetur.

Si uerò ſponſi, interquàm, & ſponſum eius fuerit conſenſus de præſenti,& de præſenti fuerit pacta, mortuo ipſo ſpōſo vidua remanſit,& aliquis ei copulatus in coniugio alterius ad ſacros ordines non accedat, cum uiduam duxerit.

Cum ſolus de præſenti conſenſus matrimonium efficiat,& ex inde ueri coniuges appellentur, ideo poſt talem conſenſum ſi quis alii ſe copulauerit, etiam ſi Carnis mixtio illic ſequatur ad priorem copulam reuocandus eſt.



Conſenſus de futuro, etiam cum iuramento, non facit matrimonium,& ſi ille; uel illa, cum iuramento, conſenſerit de futuro poſt uxorem duxerit, & illa meritò nupſerit coniugium utrinque tenet, & non poteſt diſſolui. Quod non eſt ita de conſenſu de præſenti etiam ſine iuramento, quia ſi poſt talem conſenſum aliquis alii ſe copulaue rit, etiā ſi prolem procreauerit, debet diſſolui, & ad priorem copulam reuocari.

Conſenſus qui eſt efficiens matrimonii cauſa nō debet eſſe defectiuus ex aliquo interiori, ſcilicet uoluntate, nec ex parte rationis, unde coactus cōſenſus matrimonium non faceret, & ipſa coactio excluderet conſenſum coniugalem, uerumtamen ſi inuiti, & qui coactè coniuncti ſunt, poſtea ab aliquo tempore, ſine contradictione, & quærimonia cohabitauerint facultate diſcedendi, uel reclamandi habita, conſentire uidentur, & conſenſus ille conſequens ſupplet quod præcedens coactio tulerat.

Cauſa finalis matrimonii principalis eſt procreatio prolis, & propter hoc inſtituit Deus coniugium inter primos parentes quibus dixit, Creſcite, & multiplicamini, &c.

Secunda cauſa finalis, ſecundaria fuit poſt peccatum, uitatio fornicationis, ut Apoſt. ait; Propter fornicationem unuſquiſque habeat uxorem ſuā, & una quoque habeat uirum ſuum.

OFFICIA coniugum ſunt hæc, VIRI. ſ. & VXORIS.

Officium VIRI eſt Vxorem liberaliter, & honorificè tractare.

Item alicuius honeſtæ rei ſtudio ſemper occupatū eſſe.

- Tum ut ſuppeditet, quæ ad familiam ſuſtentandā neceſſaria ſunt.
- Tum ne inerti ocio langueſcat, à quo uicio ferè omnia fluxerunt.

Item

Item familiam rectè conſtituere, omnium mores corrige-re, ſingulos in officio continere.

Offficium poſtea Vxoris, eſt ipſam ſubditam eſſe uiro ſuo, &c. de quibus habetur. 1. Pet. 3.

Item filios in religionis cultu educare, domeſticas res diligenter curare.

Item domi ſe libenter continere, niſi neceſsitas exire cogat; idque ſine uiri permiſſu nunquàm facere audeat.

Item meminiſſe ſemper, ſecundum Deum, magisque uirũ neminem diligendũ, eove pluris faciendum eſſe neminem; cui etiam omnibus in rebus, quæ chriſtianæ pietati non aduerſantur morem gerere, & obtemperare, ſumma cum alacritate animi oporteat.

IMPEDIMENTA, quæ impediunt matrimonium contrahendũ, & dirimunt iam contractũ, ſi tamen ipſa, uel aliquod ipſorũ præcedant matrimoniũ, quoniã conſenſum coniugalem excludunt. ſunt duodecim, quorũ Primũ eſt,

## ERROR PERSONAE.

Error impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum.

Vt, ſi credis contrahere cum Titio, contrahis cum Sempronio. uel ſi credis contrahere cum Maria, contrahis cum Daria. & ſic nullum eſt matrimonium.

## CONDITIO II.

Conditionis, ſecundum eſt impedimentum, quod quidem in fauorem libertatis ab eccleſia fuit inductum, & eſt ſic.

Si libera mulier contrahit cũ ſeruo, uel liber cum ancilla ſcienter tenet matrimonium. 29. q. 2. ſi quis liber. & c. ſi quis ancillam.

Si uerò libera contrahit cum ſeruo, uel liber cum ancilla ignoranter, nullum eſt matrimonium. 29. q. 2. ſi quis ingenuus, &c. & cap. ſi formi.

## VOTVM III.

Voti, tertium eſt impedimentũ, quod duplex eſt, quoddam eſt



eſt ſolemne, quòd ſcilicet fit per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſsionem expreſſam, uel tacitam factam alicui de religionibus approbatis, & tale uotum impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam cõtractum. Aliud eſt uotum non ſolemne, ſed ſimplex, & hoc ſi fiat de non contrahendo, uel de caſtitate, & huiuſmodi impedit matrimonium cõtrahendum, & quanto manifeſtius eſt emiſſum, tanto maior debetur pœna tranſgreſſori, non tamen dirimit iam contractum. extra eo. quod uotum. lib. 6.

## COGNATIO IIII.

Cognationis quartum eſt impedimentum, triplex enim eſt cognatio.

Carnalis ſcilicet, quæ dicitur cõſanguinitas, Spiritualis, quæ dicitur cõpaternitas Legalis, quæ dicitur Adoptio.

Quando ergo inter coniugatos adeſt conſanguinitas, Quæ eſt uinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagine contractum, impedit, & dirimit.

Stipitem enim dico illam perſonam, a qua aliqui duxerunt originem. Vnde & conſanguinei dicuntur quaſi de uno ſanguine procedentes.

Conſanguinitas habet tres lineas

- Prima dicitur Aſcendentiũ, ut Pater, Auus, & huiuſmodi.
- Secunda dicitur deſcendentium, ut filius, nepos &c.
- Tertia dicitur collateralium, ut fratres, & fratrũ filii, qui & patrueles uocantur. & ſic intellige in fœminis, ut in matre, & auia, in filia, & nepte, & duabus ſororibus, & earum filiabus.

In linea *aſcendentium*, & deſcendentium, Pater, & Filius ſunt in primo gradu. Nepos in ſecundo. Pronepos in tertio, quia quælibet perſona addita alicui facit gradum.

Et inter aſcendentes, & deſcẽdentes uidetur haberi perpetua prohibitio in contrahendo matrimonium.

In linea *tranſuerſalium*, ſiue collateralium, computantur

 gradus

gradus ſecundum leges aliter, & ſecundum canones aliter, & alio modo.

Secundum leges, computãdo debemus reuerti ad communem perſonam, hoc eſt ad ſtipitem, & omnes perſonæ aſcendendo uſque ad ſtipitem, & inde deſcendendo cõputantur. Et ita duo fratres ſunt in ſecundo gradu, & filii duorum fratrum ſunt in quarto gradu.

Secundum autem canones, in linea collateralium, nõ oportet reuerti ad ſtipitẽ, quin potius per ſe duos fratres ſunt in primo gradu, horum filii in ſecundo, & ita ulterius.

In linea ergo collateralium ſecũdum canones uſque ad quartum gradum computando non tenet matrimoniũ; ut uidere eſt extra de conſ. & affi.

Si autem aliquæ perſonæ attinent ſibi ex una parte, in primo, ſecundo, tertio, uel quarto gradu, & ex alia parte in quinto benè poterunt contrahere. cap. ult. ext. de conſ. & aff. ſupra.

Impeditur etiã & dirimitur matrimonium per cognationẽ ſpiritualem, quæ talis eſt; Propinquitas, ſeu proprietas proueniens ex ſacramẽti datione, uel adminiſtratione, v.g. ſacerdos baptizat puerum, tu ſuſcipis eum, uterque ueſtrum eſt ſpiritualis pater iſtius pueri, & compater parentum eius, &c.

Cognatio legalis, quæ & Adoptio dicitur, ita eſt quòd per ipſam adoptionem proueniunt tres ſpecies legalis cognationis.

Prima aſcendentium, & deſcendentium, quæ eſt inter Patrem adoptantem, & filium, ſeu filiam, Nepotem, uel neptem adoptatos.

Secunda ſpecies eſt collateralium, & attenditur inter filiũ meum naturalem, & adoptiuum.

Tertia ſpecies eſt quaſi legalis affinitas, inter Patrem adoptantem, et Vxorem filii adoptiui, et ſimiliter inter filiũ adoptiuum, & Vxorem Patris adoptantis.

Quo-



Quomodo ergo impediatur, quia noſtrum non multũ eſt, præterea ſicco pede pertranſeo.

Sed quomodo impediat in prima ſpecie uidere eſt 30. q. 3. c. ita diligere.

Quomodo impediat in ſecunda ſpecie uidere eſt ext. eo. ca. 1. 30. q. 3. poſt ſuſceptum.

Quomodo in tertia, uidere ẽ ff. de ritu. nup. l. nã adoptiuus.

## CRIMEN. V.

Criminis quintum eſt impedimentum, quorum criminum duo ſunt, quæ impediunt, & dirimunt.

Primum quorum eſt, ſi quæ mulier machinata fuit in mortem alicuius uxoris, & ipſam cum effectu occiderit animo habendi uirum ipſius in ſuum.

Et ſimiliter ſi quis machinatus fuerit, & cum effectu occiderit, uirum alicuius, ut habeat eius uxorem, tales ſi contraxerint perpetuò ſunt ſeparandi 31. q. 1. ſiquis uiuente.

Vel ſi quis interficit ſuam, ut ducat illam, cum qua mœchatur. Tho. in 4. diſt. 31.

Alterum eſt adulterium, & hoc quando adulterantes ſibi præſtant fidem, promittendo, ſeu iurando quod contrahent, ſiue de facto contrahant.

## VIOLENTIA. VI.

Violentia ſextum eſt, & hac de cauſa impedit matrimoniũ, & dirimit, quia uiolentia de ſui natura etiam ſine conſtitutione eccleſiæ impedit matrimonium, quia excludit conſenſum liberum, qui facit ſolus matrimonium, nam ubi metus, uel coactio interuenit, non poteſt conſenſus locum habere, ut in ſum. confeſſorum lib. 4. tit. x1. q. 1.

## DISPARITAS CVLTVS. VII.

Septimum eſt de diſparitate cultus, oportet enim quod uterque coniugum ſit fidelis; & eſt quando fidelis contrahit cum infideli, ut Iudæo, uel Pagano, uel etiam hæretico ſecundum Ray. tunc nullum eſt matrimonium.

## ORDO VIII.

Ordinis octauum eſt impedimentũ, quorum ordines quatuor ſunt minores, ut ſupra diximus, qui non impediũt, nec dirimunt ſacramentum matrimonii.

Et tres ſunt maiores, impedientes, & dirimentes, quia iſtis ordinibus uotum ſolemne eſt annexum.

## LIGAMEN IX.

Ligaminis nonum eſt impedimẽtum, nam cum alteri uxori es alligatus matrimonialiter, & ſecuta copula, nunquàm licuit, nec licet alteram ducere.

## HONESTAS PVB. X.

Decimum eſt iuſtitia publicæ honeſtatis, & eſt impedimentum ab eccleſia introductum propter eius honeſtatem, & ſic eſt, puta ſi aliquis deſponſauit puellam ſeptem annorum, licèt eam non cognoſcat, nullus tamen de conſanguinitate eius, poterit eam habere in Vxorem, nec ipſe aliam de conſanguinitate eius, &c.

Et eſt propinquitas ex ſponſalibus prouenìens, robur trahens ab eccleſiæ inſtitutione propter eius honeſtatẽ. Nam ſi aliquis ſponſalia inter ſe cõtraxerint, nullus de conſanguinitate ſponſi, poteſt ſponſam illam habere in Vxorem, nec aliqua de conſanguinitate ſponſæ poteſt ſponſum illum habere in uirum.

Hæc prohibitio durat uſque ad quartum gradum ipſorũ conſanguineorũ, ext. de ſponſ. c. ſponſam. & de deſponſ. impub. cap. comminebatur, in fi.

## AFFINITAS XI.

Affinitas eſt undecimum impedimentum, quę eſt proximitas perſonarum ex Carnali copula proueniens, omni carens parentela, & fit carnalis copula tam per fornicariã, quàm per matrimonialem copulam, per quam contrahitur affinitas, quæ impedit matrimoniũ contrahendũ, & dirimit iam contractum, uſque in quarto gradu affinitatis, ſicut in quarto conſanguinitatis.

Et



Et quamuis multa fuiſſent genera, & gradus affinitatis, tamen hodie eſt ſolũ genus tale; ſcilicet quod omnes conſanguinei uxoris meę ſunt mihi affines, & in eodem gradu, in quo ſunt conſanguinei Vxoris.

Similiter omnes conſanguinei mei ſunt affines uxoris meæ, & in eodem gradu in quo ſunt ipſi conſanguinei mei v. g. Soror Vxoris meę, eſt ipſi uxori in primo gradu conſanguinitatis, & mihi erit in primo gradu affinitatis.

Filia ſororis in ſecundo gradu conſanguinitatis Vxori, & mihi in ſecundo affinitatis, idemque utrinque eſt in cæteris agendum ſucceſſoribus. Et idem intelligas, ſicut de Vxore in quibuſcũque aliis mulieribus carnaliter cognitis 35. q. 5. Porro.

## IMPOTENTIA COEVNDI. XII.

Quę eſt duodecimum impedimentum, ex illis, quę impediunt matrimonia cõtrahenda, & dirimunt iã cõtracta.

Quæ impotentia eſt uitiũ animi, uel corporis, uel utriuſque, quo quis impeditur alteri commiſceri carnaliter.

Species iſtius ſunt duæ { Alia Naturalis. / Alia Accidentalis. }

Naturalis { Alia Temporalis / Alia Perpetua }

Naturalis ergo, quæ eſt ut frigiditas in uiro arctato, & in muliere, & hęc ſi ſit perpetua dirimit contractum matrimonium, & impedit contrahendum.

Si ſit naturalis Tẽporalis impedit matrimoniũ per Tẽpus, quo durat, ſicut eſt defectus ætatis in puero, quia quàmdiu eſt minoris ætatis nõ poteſt cõtrahere matrimoniũ.

Accidentalis poſtea, quæ eſt ut caſtratio maleficiorũ, quod fit per quædam maleficia, quæ dicuntur ſortes, ſeu fractur æ, firmiter tenendum, quòd impedit cõtrahendum, & dirimit contractũ, dummodo pręcedant matrimoniũ, quoniã ſi ſuperueniens matrimonio nullum præſtat impedimẽtum, & ſic intelligas de omni alio impedimẽto.

Abortum

Abortum procurantes, homicidæ ſunt, quando formatum eſt, & animatum puerperium. D. Hieronymus. Nam ſemina paulatim formantur in utero, & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa conferta ſuas imagines, membraque ſuſcipiant.

Adulter adulteram dimittere nõ ualet, & è conuerſo, quapropter quiſquis fornicationis cauſa uult abiicere eam vxorem, prior debet eſſe fornicatione purgatus, quod ſimiliter, & de fœmina dixerim.

Cum uiri, & mulieris fit ſeparatio cauſa fornicationis, non poteſt, uir, uel mulier in aliam copulam tranſire, & deberent inupti manere, poſſunt enim reconciliari, & cohabitare, ſicut prius, ſi dimiſſum alter reuocare uoluerit.

Votum eſt reddẽdum, Vouere enim domino deo ueſtro, & reddite inquit. Pſal.

Votum.n. eſt quædã teſtificatio promiſsionis, ſpontaneęq; quæ Deo, & de his, quæ Dei ſunt propriæ, fieri debet.

Votum aliud eſt commune, ut illud quod in Baptiſmo omnes faciunt, cum ſpondent renunciare diabolo, & pompis eius.

Aliud ſingulare, ut cum aliquis ſponte promittit ſeruare uirginitatem, uel continentiam.

Singulare uotum { aliud eſt Priuatum / aliud eſt Solemne }

{ Priuatum eſt in abſcondito factum / Solemne in conſpectu eccleſiæ factum }

{ Priuatum uotum, ſi uioletur, peccatum eſt mortale. / Solemne uerò uiolare, peccatum eſt & ſcandalum }

Qui priuatum uotum faciunt, continentiæ matrimonium cõtrahere nõ debẽt. ſi tamen contraxerint, nõ ſeparẽtur.

Qui uerò ſolẽniter uouẽt nullatenus cõiugiũ inire queunt.

Adulterii malum uincit fornicationem, & uincitur ab inceſtu, peius enim eſt cum matre, quàm cum aliena uxore, ſed horum omnium peſsimum, quod contra naturam fit,



fit, ut ſi uir membro mulieris non ad hoc cõceſſo utatur.

Non nubat fœmina, niſi ſuæ religionis uiro, uel ne uir talem ducat uxorem.

Et caueat chriſtianus, gentili, uel Iudæo filiam ſuam tradere. Et caueat ne gentilem, uel Iudæam, uel alienigenam .i. hęreticam, uel alienam à fide ſua Vxorem accerſat ſibi. Non poteſt ergo contrahi cõiugium ab his, qui ſunt diuerſæ religionis, & fidei,

Si ſunt iã duo cõiuges cõiuncti, & ambo adhuc ſunt infideles, uenitque Euangelii prædicator. Credidit eorũ unus, uel una ſcilicet ita ut infidelis cum fideli habitare conſentiat, non iubet dominus, ut fidelis infidelem dimittat, ſed remanet coniugium, quia fortè per fidelem ſaluabitur infidelis.

Dominus permiſit Vxorẽ dimitti cauſa fornicationis, ſed non iuſsit, & ſic dedit Apoſtolo, locum monendi, & qui uoluerit, non dimittat, & ſi uult dimittere, licite poſsit, & intellexit de fornicatione corporali, & etiã de ſpirituali ſcilicet mentis .i. infidelitatis, idolatria enim & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt inquit Auguſtinus.

Duorum coniugum ſi uterque fidelis matrimonio coniunctus eſt, & poſt alter eorum à fide diſceſſerit, & odio fidei coniugem reliquerit, dimiſſa diſcedentem non comitabitur, nec tamen illa uiuente, alterã ducere poterit, quia inter eos fuerat ratũ coniugiũ, quod non poteſt diſſolui.

Coniugium infidelium, legitimum eſt, ſed non ratum. Non ratum quia ſine fide eſt, & ſolui poteſt, ſed legitimũ eſt, quia eſt inter legitimas perſonas. Vnde D. Auguſtinus. Vxor legitima ſocietate coniuncta, ſine ulla culpa relinquitur, ſi cum uiro chriſtiano permanere uoluerit.

Fornicatio ſpecialiter intelligitur in uſu uiduarũ, uel meretricum, uel concubinarum, licèt ſit genus omnis illiciti coitus, qui fit extra Vxorem.

Stuprum propriè eſt uirginum illicita defloratio.

Adul-

Adulterium eſt alicui thori uiolatio, unde adulterium dicitur quaſi alterius thori acceſsio.

Inceſtus eſt conſanguinarum e, uel affiniũ abuſus, unde inceſtuoſi dicuntur, qui conſanguineis, uel affinibus ſuis abutuntur.

Raptus admittitur, cum puella uiolenter à domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur, ſiue puellæ, ſiue parentibus uis illata cõſtiterit, hic morte mulctatur. ſed ſi ad eccleſiam cum rapta confugerit, priuilegio eccleſiæ mortis impunitatem meretur.

Filii, & filię ſpirituales ſunt, qui de ſacro fonte leuantur, uel in catechizatione, uel in confirmatione tenentur.

Filii quoque, & filię ſpirituales ſunt eorũ, qui trinæ merſionis uocabulo eos ſacro baptiſmate tangunt.

Nemo ergo filiolam ſuam, uel commatrem poteſt ſibi copulare nuptialiter, & ſi pręſumptũ fuerit, ſeparandi ſunt.

Qui autem legitimè cõiuncti ſunt, nõ ideo ſeparandi ſunt, quia alter eorum inſidioſè filium de fonte leuauit.

Et quia quædam fœminæ deſidioſè, & quædam fraudulenter, ut a uiris ſuis ſepararentur proprios filios corã epiſcopis ad confirmandum tenebant, ideo dignum duxerunt Theologi, ut ſi qua mulier filium ſuum deſidia, aut aliqua fraude coram epiſcopo tenuerit ad confirmandum propter fallaciam, uel fraudẽ, quamdiu uiuat, pœnitentiam agat, tamen à uiro ſuo non ſeparetur.

Poſt ſuſceptum filium de fonte, uel filiam ſpiritualem, qui ex compatre, uel ex comatre fuerint nati, matrimonio iungi non poſſunt ſecundum tamen Papam Paſchalem. Sed quidam uolunt, quòd illi, qui ante cõpaternitatem, uel poſt geniti ſunt, licitè iungi poſsint, & huic opinioni uidetur conſentire Vrbanus Secundus.

Vxor unà cum marito non debent ſimul in Baptiſmo ſuſcipere puerum, & hoc ut conſeruetur immunis ab omni labe, & infamia, puritas ſpiritualis paternitatis.

DE



# DE POENITENTIAE SACRAMENTO.



POenitentia, eſt ante acta peccata deflere, & flenda non committere ſecundum Gregorium. Nam qui ſic alia deplorat, ut alia tamẽ committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut diſsimulat.

Quid.n. prodeſt ſi peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æſtibus anhelat?

Pœnitentia eſt ergo, ut ait Ambroſius, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Ille enim qui poſt lacrimas repetit quod fleuit, lauatur ad Tẽpus, & mundus non eſt.i.illa munditia nõ eſt ei ſufficiens ad ſalutem, quia eſt momentanea, non perſeuerans.

Pœnitentia itaque interior eſt, & eſt exterior.

Quando eſt exterior, ſacramentum eſt.

Quando eſt interior, uirtus mentis eſt, & utraque cauſa ſalutis eſt, & iuſtificationis.

Pœnitentia quando uirtus eſt, & pro uirtute accipitur, tunc intima dicitur pœnitentia, & eſt illa, cum ad Deum nos ex animo conuertimus, & commiſſa à nobis ſcelera deteſtamur, & odio habemus: ſimulque illud nobis certũ, & deliberatum eſt, malam uitæ conſuetudinem, corruptosque mores emendare, non ſine ſpe ueniæ à Dei miſericordia conſequenda.

Pœnitentia quando ſacramentum eſt, & pro ſacramento accipitur tunc. Externa dicitur pœnitentia, & eſt quæ

 habet,

habet externas quaſdam res ſenſibus ſubiectas, quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiunt.

Pœnitentia quod uerè ſit ſacramentum, oſtenditur his rationibus.

Vt enim Baptiſmus ſacramentum eſt, quia peccata omnia, ac præſertim quod origine contractum fuit, delet, eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia poſt Baptiſmum, uoluntate, uel actione ſuſcepta tollit, uerè & propriè ſacramentum dicendum eſt.

Deinde quod caput eſt, cum illa, quæ extrinſecus, tum à pœnitente, tum à ſacerdote fiunt, declarent ea quæ interius efficiuntur in anima, quis neget pœnitentiam uera, & propria ſacramenti ratione præditam eſſe?

Inanis eſt ergo pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, inanis eſt.ſ.carens fructu illius pœnitentiæ, quam ſequens culpa non inquinat. Illius enim fructus eſt uitatio gehennæ, & adeptio gloriæ.

Pœnitere ideo quiſque debet, ideſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando. Vnde D. Auguſtinus diſt. 22. lib. de uera, & falſa pœnitẽtia. c. 8. & de pen. d. 3. penit. eod. lib. c. 19. ſic ait. Pœnitentia eſt quędam dolentis uindicta puniens in ſe quod dolet, commiſiſſe.

Quæ pœnitentia { Alia eſt ſolemnis, / Alia publica, / Alia priuata, }

Solemnis multis quoque modis, ſubdiuiditur, & uiſitur 26. q. cap. ultimo, & ſi debet iterari, uel non, uiſitur de pœnitentia. d. 3. c. ex perſona, & dicitur ibi quod non, & in capite etiam reperiuntur.

Solemnis hæc non eſt in uſu hodie, & notandum quod debet fieri cum illa ſolemnitate, & modo qui habetur diſt. 50. in cap. & imponitur tantum ab Epiſcopo, uel de eius mandato.

Et



Et eſt illa, quæ fit extra eccleſiam, in manifeſto, in cinere, & cilicio, quæ pro grauioribus, horrendiſque, uel manifeſtis delictis tantum imponitur. v. g. Quod totam urbem, uel communitatẽ, uel alium locum cõmouerit. 26. q. 6. c. ultimo. Non eſt iteranda pro reuerentia ſacramenti, ut non uilleſcat, & contemptibilis fiat hominibus.

Non debet imponi clerico, niſi depoſito, quia nec laicus, qui ſemel egit eam, debet poſtea promoueri, nec clericus debet poſtea miniſtrare diſt. 50. confirmandum.

Pvblica pœnitentia de ea uiſitur in capite reperiuntur, & c. ſepties in die cadit iuſtus, & adhuc inſtant perfidi diſt. de pœnit.

Quæ uerò dicitur quãdoq; illa ſolẽnis, de qua ſupra. ſed Publica propriè eſt illa, quæ fit in publico, non tamen cum illa prædicta ſolemnitate, ut quando iniungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & cum ſcapulari, & huiuſmodi.

Quadruplici cauſa imponitur hæc,

{ Primò ut peccatum publicum publicam habeat medicinam.
Secundo quia maxima cõfuſione eſt dignus, qui grauiſſimum ſcelus commiſit.
Tertiò ut ſit aliis ad terrorem.
Quartò ut ſit exemplum pœnitendi, & non deſperandi eis, qui grauibus detinentur. }

Privata eſt illa, quæ ſingulariter, & priuatè fit quotidie, cum quis peccata ſua ſecretè confitetur ſacerdoti, & hæc eſt ſacramentum.

Pœnitentiæ ſacramentum, in eo maximè ab aliis differt, quod aliorum ſacramentorum. Materia ſit Res aliqua naturalis, uel arte effecta. ſed, ſacramenti huius pœnitẽtiæ quaſi materiam alii dicunt eſſe

{ Actus pœnitentis, alii / Peccata ipſa, manu eſſe dicunt. }

I 2 Qui

Qui dicunt materiam quaſi eſſe Actvs pęnitentis,ſcilicet

{ Contritionem, Confeſsionem, Satisfactionem, } hoc dicunt.

Non quia ueræ materiæ rationem non habeant,
Sed quia eius generis materia,non ſunt,quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo; & Chriſma in Confirmatione.

Qui autem peccata ipſa, materiam huius ſacramenti eſſe dicunt, nihil diuerſum aſsignant.
Vt enim ignis materiam ligna eſſe dicimus quæ ut ignis conſumuntur; ita peccata,quæ pœnitentia delentur, rectè huius ſacramenti materia uocari poſſunt.

FORMA autem hæc eſt.Ego te abſoluo, & hanc formam, licet colligere non ſolum ex illis uerbis, Quęcunque ſol ueritis ſuper terram erunt ſoluta, & in cęlis.
Sed ex eadem Chriſti domini doctrina ab apoſtolis traditam accepimus. &

Pęnitentia iſta eſt illud Fęlix, ac beneficum triduum,quod petebant filii Iſrael Deum per fidem uidentes in Aegypto.i.in tenebris peccatorum exiſtentes, dum dicebant Deus Hebræorũ uocauit nos,ut eamus uiã triduũ dierũ, & illi tres Dies ſunt Contritio,Confeſsio, Satisfactio.

Eſt quoque pęnitentia illa ſcala benedicta cum illis tribus Gradibus, quam uidit Iacob à terra erecta uſque in cęlum,& dominum innixum ſcalæ,& hoc propter Tria.

Primo ut aſcendentem per eam fortiter ſuſtineat.

Secundo ut ſi fortè neceſſarium fuerit aſcendenti per eam manum porrigat.

Tertio ut cum aſcẽdens fatigatus fuerit in ipſum reſpiciat iactans totam curam in eo.

{ In Primo Gradu,eſt Dolor. In Secundo eſt Pudor. In Tertio eſt Labor. } Et tribus modis agitur Pęnitentia.

Ante



Ante Baptiſmum ſcilicet de Prioribus peccatis.

Poſt Baptiſmum de grauioribus quæ poſt committuntur

Eſt etiam pęnitentia Venialium quotidiana quæ etiam humilium eſt, & perfectorum.

Proprium eſt etiam huius ſacramenti, ut præter materiam, & formam quæ omnibus ſacramentis communia ſunt, habens etiam illas partes, quæ totam, integramque pęnitentiam conſtituant.

{ Contritionem, ſcilicet Confeſsionem, Satisfactionem, }

Quæ partes dicuntur integræ,quia ex illis pęnitentia ita conſtituitur, ut
Quamuis quod ad eius naturam attinet, Contritio, & Confeſsio, quibus homo iuſtus efficitur ſatis ſit
Tamen niſi tertia etiã pars.i.ſatisfactio accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem deſit neceſſe eſt.

PRIMA ERGO PARS ERIT.

CONTRITIO, quæ eſt dolor uoluntariè pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.

Et præcipitur nobis ibi quando dixit, Scindite corda ueſtra, & non ueſtimenta ueſtra.

Oportet enim quod in Contritione tantus ſit dolor peccati, quanta in eo fuit delectatio, ut in Apocalipſi uiſitur, ubi dicitur.

Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit peccati perpetratione, tãtum date ei tormentũ, & lutũ in Cõtritione.

Et niſi dolor eſſet uoluntarius non eſſet Deo gratus,nec acceptus, &

Contritio debet habere ſeptem conditiones.

Diſcreta primò debet eſſe, hoc eſt non deſperare de uenia, ſed ſperare de miſericordia Dei, ut ait D. Ambroſius.
Nemo deſperet Iudam proditorem, non ſcelus quod commiſit, ſed ſua deſperatio fecit eum pęnitus interire.

Amara

Amara debet eſſe ſecũdo, ſicut dicebat Ezechias. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ecce in pace amaritudo mea amariſsima, & ſic faciendo Contritus poterit dicere.

Tu autem eruiſti animam meam, ut non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Lachrimoſa debet eſſe Tertio. Vnde Dauid lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrimis meis ſtratum meum rigabo.

Præmeditata quartò.

Vniuerſalis quintò .i. de omnibus peccatis.

Continua ſextò. Integra ultimò .i. de omnibus peccatis.

In Contritione hæc ſunt principaliter ſpectanda.

Qvid ſit ea<br>
Quis præcipuus eius ſit fructus.

QVID ſit, eam ita definiunt Patres in Cõcilio Tridẽtino. Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio, de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Porrò ueræ Contritionis ea uis eſt, & fructus, ut illius beneficio omnium delictorum ueniam ſtatim à domino impetremus.

Id enim ſatis apertè declarant Profetæ uerba illa, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pſal. 31.

CAVSAE inducentes Contritionem ſunt ſex.

Prima Recogitatio peccatorum; Iſaias. ca. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Secunda, Pudor, qui ad cogitationem ſequitur. Prouer. 12. Putredo in oſsibus eius, qui cõfuſione res dignas gerit.

Tertia peccatoris Vilitas. Ieremias 2. Quam uilis facta es nimis iterans uias tuas.

Quarta Timor extremi Iudicii, & Tormenti. 1. Petr. 4. Impius, & peccator ubi apparebunt? Rom. 6. Stipendia peccati, mors.

Quinta



Quinta Dolor ſcilicet de amiſsione patriæ cæleſtis. Apoc. 3. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Similiter Dolor de offenſa Dei.

Hic dolor debet eſſe Acer, quia offendimus Deum Creatorem; Acrior, quia patrem noſtrum cęleſtem; Accerrimus, quia & noſtrum redemptorem, qui nos proprio ſanguine liberauit.

Sexta ſpecies, quæ eſt triplex ſcilicet,

Veniae,<br>
Gratiae,<br>
Gloriae.

Veniæ, qua peccata dimittuntur.<br>
Gratiæ, qua bona operamur. &<br>
Gloriæ, qua remunerabimur.

Apocalypſis 3. Ego ſto ad Oſtium, & Pulſo, ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cęnabo cum illo, & ille mecum.

Ad Contritionem neceſſaria hæc ſunt.

Primum enim neceſſe eſt, peccata omnia, quæ admiſimus, odiſſe, & dolere, ne ſi quædam tantum doleamus ficta, & ſimulata neq; ſalutaris pænitẽtia a nobis ſuſcipiatur, Nã qui offendit in uno, factus eſt omniũ reus. Iac. 2.

Alterum eſt, ut ipſa contritio confitendi, & ſatisfaciendi uoluntatem coniunctam habeat.

Tertium, ut pęnitens uitæ emendandæ certam, & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat.

Deniq; Curandum eſt, ut quicquid iniuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur, ac condonetur, Niſi enim dimiſerimus hominibus, nec pater noſter dimittet nobis peccata noſtra. Math. 6.

EFFECTVS contritionis eſt, peccati remiſsio, & poteſt ipſa contritio duobus modis conſiderari.

Vel in quantum eſt Sacramenti pars,<br>
vel in quantum eſt Actus virtutis.

Et

Et utroque modo eſt cauſa remiſsionis peccati, ſed Diuerſimode, quia,

In quantum eſt pars ſacramenti cooperatur ad remiſsionẽ peccati inſtrumentaliter, ſicut & alia ſacramenta.

Inquantum eſt actus uirtutis, ſic eſt quaſi cauſa materialis remiſsionis peccati. ſicut & materiæ diſpoſitio. &

Licèt in contritione dimittatur peccatum quando fit cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, ſi tamen poſtea tempore debito nõ ſequatur Confeſsio, & Satisfactio, peccatum quidem dimiſſum non reddit, ſed mortaliter peccat qui omittit. de pęn. diſt. 1. c. magna.

Curandum ergo erit, ut in peccatum ſibi quiſquàm ſummum odium concitet.

Tum quia, ſumma eſt illius fœditas, & turpitudo.

Tũ quia grauiſsima damna, & calamitates nobis affert.

## EX PECCATO.

PECCATVM eſt omne factum, uel dictum, uel concupitum contra legem Dei, &

Aliud eſt Actuale,
Aliud Originale,

Originale, eſt quod contrahit homo ex origine, in quantũ ſcilicet homo deſcendit ab Adam ſecundum rationem ſeminalem, ita quod peccatum originale formaliter nihil aliud eſt, quam carentia iuſtitię originalis, & de hoc homo non tenetur conteri, quia ſolum de illo debet dolere, & conteri quod eſt actu proprio cõmiſſum, uel fuit in ſua poteſtate non committere.

Actuale peccatum, aliud eſt Mortale, aliud Veniale,

De mortali homo debet conteri ſingulariter, & ſigillatim de quolibet, & non ſufficit contritio generalis, ſed ſpecialis de quoque peccato.

De Veniali non tenetur quod ſimplex eſt ueniale, ſed de illis, quæ per frequentationem ſui, fiunt mortalia debet homo conteri, & dolere.



TRES quoq; ſunt differentiæ peccati

& in Corde, &
in facto, &
in conſuetudine uel uerbo. — Tamq; tres mortes.

Vna quaſi in domo, ſ. cum in corde cõſentitur libidini.

Altera quaſi iam extra portam cum in factum procedit Aſsenſio.

Tertia cum in malæ conſuetudinis tamquàm mole præmitur animus, quaſi in ſepulchro iam fętens.

Huic Triplici morti. Triplici remedio occurritur.

Contritione,
Confeſsione,
Satisfactione.

Criminalia peccata, ſemel ſaltem, & ſpecialiter oportet in confeſsione exprimere, niſi aliqua a mente ceciderint, ſed ſi aliquorum intelligentia non habetur, Confeſſio generalis mortalia delet.

Venialia uerò quia innumerabilia ſunt ſufficit generaliter confiteri, niſi aliqua ſint frequenter iterata: Perfectius eſt tamen etiam illa exprimere ſi uales.

PECCATVM itaq; teſte Auguſt. lib. de duabus animabus cap. 11. Voluntas eſt retinendi, uel conſequendi, quod iuſtitia uetat, & vnde liberum eſt abſtinere.

D. Amb. inquit. Quid eſt enim Peccatum niſi legis diuinę præuaricatio, & cęleſtium inobedientia præceptorum? lib. de Parad. cap. 8.

Eſt autem (ut dixi) Peccatum Triplex.

Originale,
Mortale,
Veniale.

Originale uocamus, quod a primo humani generis parente Adam transfuſum, nobiſq; in ipſa conceptione contractum per Baptiſmum in Chriſto tollitur.

K Ori-

Origine ergo contrahitur,non propria uoluntate cōmittitur,quo naſcimur omnes filii iræ,& infantes unius diei ſuper Terram. authoritas Pauli ſic implet.

Per unum hominem (inquit) peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors,& ita in omnes homines mors pertranſiit,in quo omnes peccauerunt.

Mortale,uoluntaria præuaricatio legis eſt, ſiue cōmisſione fiat, ſiue omisſione,ideo Mortale dictum, quia mortem in animam peccantis inducit,uitam ſpiritualem eripit,à Deo,Deiq; regno ſeparat, & ęternæ mortis punitione dignum facit,quę ſi non adferat ſecum,mortale dici non debet. Vnde auctoritas Pauli Rom. 6.

Stipendia peccati mors,& iniuſtitia mortis eſt acquiſitio, impii autem manibus,& uerbis accerſierunt illã. Sap. 1.

Veniale eſt male factum, leue tamen, ueniaq; dignum, ut ſunt mendacia citra perniciem,uerba ocioſa,ineptæ letitiæ,& alia ex ſurreptione,uel citra plenam animi deliberationem facta,Dei inimicum hominem ergo non efficit. Ioannes dixit. Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus,ipſi nos ſeducimus,& ueritas in nobis non eſt 1. Ioan. 1.

Peccatũ quoq; (inquit Apoſtolus) eſt ſtimulus mortis,quia ſicut ſtimulus feriens interiora hominis,occidit corpus, ita peccatum tranſiens ad conſenſum hominis,interimit animam.

Homo per malitiam occidit animam ſuam. Sap. 16.

Peccati finis mors eſt,& ſtipendium peccati mors. Adeo ut omnibus ſuis ſtudiis, adinuentionibus, laboribus, per uias difficiles, ad multam uſq; laſſitudinem, non aliud inueniat, non aliud mereatur peccator, quam mortem.

Capitalia,quæ ſunt ueluti fontes,uel capita reliquorum,in numero ſeptem numerari ſolent, Et proprie dicuntur ſcaturigines omnium peccatorum.

Quicquid enim eſt criminis,aut ſceleris,aut delicti,ex quopiam





piam iſtorum uelut matrice ſua naſcitur, atq; habet unũ quodq; dictorum ſuas ſoboles matre non indignas,quas ſuo loco inferius numerabuntur.

Quæ quidem Capitalia poterat homo cum reliquis comittere,& non cōmittere, & idem dico de Originali iuxta liberam ſuam uoluntatem.

Homini namq; datum adiutorium in Creatione, in quo poterat ſtare, & non cadere,& hoc erat libertas arbitrii ab omni labe, & corruptela immunis.

LIBERVM enim Arbitrium,eſt facultas rationis,& uoluntatis,qua bonum eligitur, gratia aſſiſtente, uel malum,eadem deſiſtente.

Et dicitur Liberum Arbitrium quantum ad uoluntatem, quæ ad utrumlibet flecti poteſt, ſcilicet ad bonum,& ad malum.

Et dicitur Arbitrium quantum ad rationem,cuius eſt potentia diſcernere inter bonum,& malum.

Illa ergo rationalis animæ potentia, qua bonum, uel malum poteſt uelle,utrumq; etiam diſcernens Liberum Arbitrium nuncupatur.

Semper ergo (ut inquit D. Aug. in lib. de gratia,& lib. arb.) in nobis uoluntas libera eſt,ſed non ſemper bona eſt.

Aut enim libera eſt iuſtitię,quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala.

Aut a Peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona.

Operans gratia eſt,quæ pręuenit uoluntatem bonam; Ea enim liberatur,& pręparatur hominis uoluntas,ut ſit bona, bonumq; efficaciter uelit.

Cooperans vero gratia, uoluntatem iam bonam ſequitur adiuuando ne fruſtra uelit.

Vt ergo uelimus,operatur Deus,& ut quod uolumus perficiamus,nobis cooperatur.

Cooperãdo enim in nobis perficit,quod operãdo incipit.

Intellige gratiam operantem,& cooperantem,ideſt præuenientem,& ſubſequentem.

Gratia præuenit bonę uoluntatis meritum, & ipſa bona uoluntas, committatur gratiam,& non gratia uoluntatem.

Gratia autem hanc uoluntatem preueniens,& præparans, eſt fides cum dilectione.

Fides ergo eſt cauſa iuſtificationis,& ipſa eſt gratia,& beneficium, quo hominis præuenitur uoluntas, & pręparatur.

Sic ergo præuenitur bona hominis uoluntas, illo gratiæ beneficio, quo liberatur, & præparatur, & illud beneficium, fides Chriſti rectè intelligitur.

Operans, & Cooperans gratia, una & eadem eſt, idem donum,& eadem uirtus, ſed propter diuerſos eius effectus dicitur Operans,& Cooperans, ideſt preueniens, & ſubſequens gratia.

Qui dicunt hominem peccatum uitare non poſſe, cum Manichæis errant.

Qui aſſerunt hominem non poſſe peccare, cum Iouinianis errant; nam utrinq; tollunt arbitrii uoluntatem.

Sed hæc eſt fides quam in catholica ſemper eccleſia tenere debemus. Cum dicimus hominem ſemper,& peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.

Iterum Originale peccatum eſt, quo peccatores naſcuntur omnes concupiſcentialiter, geniti, quod ex Adam, ſiue ex eius inobedientia emanauit,& in poſteros demigrauit, hoc eſt uitium concupiſcentiæ, quod in omnes ex ea natos per Adam intrauit, eosq; uitiauit.

Firmiſsime ergo tenendum, & nullatenus dubitandum, omnem hominem qui per concubitum uiri, & mulieris concipitur, cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortiq; ſubiectum, & ob hoc natura iræ naſci filium, à qua nullus liberatur, niſi per fidem mediatoris Dei, & hominum.



Hoc peccatum per unum hominem intrauit in mundũ ſcilicet inobediẽtiam, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 5. per inobedientiã unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi. Quæ inobedientia peccatum actuale eſt.

Quæ uerba hoc ſenſu ſunt intelligenda, quia ex inobedientia Adæ, ſcilicet ex peccato actuali Adæ proceſsit originale peccatum, quo omnes peccatores naſcuntur, ut & in illo eſſet, & in omnes tranſiret.

Peccatum ergo primi hominis, non ſolum ipſum, ſed omne necauit genus humanum, quia ex eo non ſolum damnationem, ideſt pęnam æternam, ſed etiam culpam ſimul ſuſcepimus.

Trahitur à parentibus peccatũ originale,& à patribus in filios tranſit, non ſecundum animam, ſed ſecundum carnem ſolam.

Originale igitur peccatum dicitur ideo ſcilicet, quia ex uitioſa lege originis noſtræ in qua cõcipimur, ſcilicet carnis libidinoſa concupiſcentia traducitur, & à parentibus in filios,& per carnem in animam tranſit.

Originale peccatum in Baptiſmo dimittitur, remanet tamen, concupiſcentia, quæ ante erat, & licet poſt Baptiſmum remaneat, non tamen dominatur, & regnat ſicut ante, immo per gratiã Baptiſmi mitigatur, & minuitur, ut poſt dominari non ualeat.

Et licet remaneat, nõ remanet ſicut peccatum, quia manet in uetuſtate carnis, ita ut ſit tamquàm ſuperatum, & perremptum, niſi illicito conſenſu quodammodo reuiuiſcat, & in regnum proprium, dominationemque reuocetur.

Et licèt concupiſcentia carnis, quæ iam manet in regeneratis, iam non deputetur in peccatum, quæcunque tamen proles naſcitur, obligata eſt originali peccato.

Et

Et ſi dicatur concupiſcentia carnis in Baptiſmo dimitti, ſic eſt intelligendum, quod dimittitur nõ ut non ſit, ſed ut non imputetur in peccatum.

Tranſgreſsio illa Adæ, ex qua proceſsit Originale peccatũ, quia fuit peccatum in loco, & habitu tantæ fœlicitatis commiſſum; tam magnum fuit, ut in uno homine originaliter, & radicaliter totum genus humanum damnaretur, & hæc fuit Adæ peccatum actuale, in quo plura peccata poſſunt reperiri.

Poſſunt enim in illa ſua tranſgreſsione inueniri, & primo.

1 Superbia, quæ eſt, & fuit illic, quia homo dilexit eſſe potius in ſuà poteſtate quàm in poteſtate Dei.

2 Sacrilegium fuit etiam illic, quia Deo non credidit.

3 Homicidium, quia ſe in mortem præcipitauit.

4 Fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta fuit.

5 Furtum, quia cibus prohibitus uſurpatus fuit.

6 Auaritia fuit ibi, quia pluſquàm ſufficere ei debuit, appetiuit.

Cui peccato Adæ actuali paruuli non tenentur, tenentur tamen Originali tantum peccato.

Sic ergo paruuli, non pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro actualibus primi parentis, ſed pro originali, quod à parentibus trahitur, paruuli damnabuntur. pro quo nullam aliam ignis materialis, uel conſcientiæ uermis pęnam ſenſuri ſunt, niſi quod Dei uiſione carebunt in perpetuum.

Et ſic pęna ſenſus paruulis nulla erit, quia non obligantur peccatis parentum præcedentium, niſi originali Adæ.

Peccatum ergo eſt, ut ſupra, omne factum, uel dictum, uel concupitum contra legem Dei: uel eſt uoluntas retinẽdi, uel cõſequendi quod iuſtitia uetat. Ex quibus aſsignationibus agitur de actuali, & mortali, & non ueniali.

Et peccatum eſt actus malus interior, & exterior, ſcilicet mala cogitatio, locutio, & operatio, & tamen præcipuè conſiſtit peccatum in uoluntate.



Sed uoluntas, & actus, quicũque ſit, ſiue bonus, ſiue malus, in quantum eſt, bonum eſt, & ex Deo auctore eſt, & bona Dei natura eſt. In quantum uerò inordinatè, & contra legem Dei ſit, peccatum eſt, quia omne quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt.

Mala ergo uoluntas, ſiue actio, in quantum eſt, Bonum eſt, & in quantum uolũtas eſt, uel actio, ſimiliter bonum eſt; ſed ex uitio mala eſt, & in quantum eſt uitioſa, quod uitium à Deo non eſt, & ſic eſt peccatum, & peccatum in quantum non habet ordinem, nec finem debitum, & ſic actio in quantum ex malo procedit, & ordinem non habet, peccatum eſt.

Et ſi diceretur, adulteria, homicidia, & huiuſmodi, quo ad actum bona eſſe, uerum diceretur, & ſic, qui ea faciunt bona agunt, & ſic reſpondendum.

Adulteria, & homicidia, & huiuſmodi nõ ſimpliciter actus denotare, ſed actuum uitia.

Actus namque ipſius homicidii, & adulterii in quantum ſunt, & actus ſunt, à Deo ſunt, & bonas naturas eſſe dicamus: ſed non in quantum adulteria, & homicidia ſunt.

Sed ſi modo malus actus, in quantum peccatum eſt, ſit priuatio, uel corruptio boni; & cum ſit corruptio, pęna ſit homini. Dicendum ſic, quod actus malus, non in quantum eſt, neque in quãtum bonus eſt, eſt priuatio, uel corruptio boni, ſed in quantum peccatũ eſt, dicitur eſſe priuatio boni, non tamen pœna.

Et ſic peccatum dicitur corruptio, uel priuatio, actiuè non paſsiuè, i. ſecundum efficientiam, nõ ſecundum effectũ.

Priuatio itaque, uel corruptio illa boni, accipitur actiuè, & paſsiuè, & dicitur peccatum, i. culpa, & pęna: ſed peccatum ſecundum efficientiam, quia priuat, uel corrumpit bonum.

Pęna

Pęna autem ſecundùm effectum, ideſt ſecundum paſsionē, quæ eſt effectus peccati.

Aliud eſt enim culpa, aliud pęna.
Alterum Dei.i.pœna.
Alterum hominis,& Diaboli. i.culpa.
Et cum dico peccatum intelligo culpam.
peccatum enim propriè corruptio animæ eſt.

CVM dicitur quod Deus non eſt auctor malorum, cauendum eſt à Lector, ne malorum nomine pęnas, ſicut peccata generaliter includas, nā ſub hoc nomine mali peccata intelliguntur.

Et cum dicitur ſicut in Iſaia 45.

Ego ſum Deus creans malum,& faciēs bonum, ſub hoc nomine mali, intelligitur pęna non peccatum.

Pęnarum autem Deus auctor eſt, ſic ergo malorum pęna, quæ à Deo eſt malum eſt quidē malis, ſed in bonis Dei operibus eſt; Quoniam iuſtum eſt, ut mali puniantur,& utique bonum eſt omne quod iuſtum eſt.

Ergo Deus auctor mali nō eſt, qui & omnium quæ ſunt auctor eſt, quia in quantum ſunt, in tantum bona ſunt.

Volvntas
Intellectvs
Et Memoria. potentiæ ſunt animæ, quæ naturaliter inſunt homini. Quæ autem homini naturalia ſunt quantūcunque uicientur, bona tamen eſſe nō deſinunt.

Actus autem uoluntatis cum ad finem rectum non tendit, inordinatus eſt, & quando inordinatus eſt, tunc eſt peccatum. ſed

Actus aliarum potentiarum non ſunt peccata, ſcilicet potentię memorandi, cuius actus eſt memorare, & potētiæ intelligendi, cuius actus eſt intelligere, ſicut eſt actus huius naturalis potentiæ, ſcilicet uoluntatis, quia alterius generis eſt actus ille uoluntatis, quàm actus memoriæ, & intellectus.

Actus



Actus enim uoluntatis, eſt ad aliquid adipiſcendum, uel non amittendum, qui non poteſt eſſe de malis, quin ſit malus, nam uelle mala, malum eſt. Sed intelligere, uel memorare mala, malum non eſt.

Voluntas eſt animi motus cogente nullo ad aliquid, uel non amittendum, uel adipiſcendum.

Quiſquis enim ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, utique uolens peccat. Quia qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere, quapropter peccatum ſine noluntate eſſe non poſſe uerißimum eſt.

Voluntas itaque mala, rectè uoluntarium dicitur peccatū, quod in uoluntate conſiſtit, & eſt ipſa uoluntas prima cauſa peccandi, nec eſt cui rectè imputetur.

Non eſt ergo cui rectè imputetur peccatum, niſi uoluntati. Hoc autem intellige de peccato actuali, & mortali.

Voluntas ergo eſt ſola, qua peccatur, & qua rectè uiuitur

Voluntas, & actio mala, in eodem homine, & circa eandem rem, quanquàm duo diuerſa ſint, tamen unum tantum peccatum eſt, non autem diuerſa, & plura peccata, quia ſiue quando uult, ſiue quando agit, ibi eſt unus cōtemptus, & una præuaricatio. Sed minor cum in uoluntate ſolum peccatum continetur, maior uerò cum uoluntati etiam operatio additur: & ideo maius ſit peccatum, ſed non plura, cum actus, & uoluntas in eodem, & in eadem ſimul ſint.

Inter ergo omnia peccata præcipuè ſunt animaduertenda ea, quę dicuntur capitalia, quod ſint ueluti fontes, uel capita reliquorum, quæ (ut iam ſupra dixi) in ſeptem numerari ſolent, tamquàm ex ſeptem uitiis principalibus, ex quibus omnia mala oriuntur, & ſunt Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Accidia.

L Super-

Superbia enim eſt inordinatus appetitus excellentiæ,& uitiorum omnium mater Princeps, ac Regina eſt.

Iſtius ſuperbiæ hæ filię dicuntur.

Præſumptio, Pertinatia, Hypocriſis. | Iactantia, Ingratitudo, Contemptus aliorum. | Inobedientia, Ambitio, Curioſitas.

Nouem iſta uitia curantur. Obedientia, & Humilitate.

Auaritia eſt habendi appetitus inordinatus cuius ſoboles ſunt.

Proditio, Fraus, Fallacia, Periurium, Symonia. | Inquietudo, Corruptella, Sacrilegium, Furtum, Vſura. | Rapina, Violentia, Inhumanitas,& Cordis durities.

Vitantur iſtæ, Liberalitate, & Eleemoſina.

Luxuria eſt Appetitus inordinatus impurę, & libidinoſę uoluptatis.

Gignit aut ex ſe.

Mentis cęcitatem, Inconſiderationem, Inconſtantiam. | Præcipitationem, Amorem ſui. Odium Rei.
Deſiderium huius uitæ nimium.
Mortis, futuriq; iudicii horrorem.
Fælicitatis æternæ deſperationem.

His uitiis opponuntur. Caſtitas, & Continentia.

Inuidia eſt Triſtitia de bono alterius, & odium alienæ fęlicitatis.

Et hæc filias iſtas procreat.

Odium, Suſurationem, Detractionem. | In aduerſis aliorum rebus exaltationem. In proſperis afflictionem.
Diſcordiam
Murmurationem,
Damnum.

Horum



Horum remedium eſt. Caritas, non tantum amicorum, ſed etiam inimicorum.

Gulá eſt cibi ac potus appetitus inordinatus, Habet hæc Filias.

Ineptam lætitiam, Multiloquium, Scurrilitatem. | Spurcitiem. Senſuum,& intellectus hebetudinem.
Somnolentiam, &
Nauſeam.

Sanantur hæc mala. Sobrietate, Abſtinentia, Ieiunio.

Ira eſt immoderata cupiditas puniendi eum a quo læſum ſe quis arbitratur. Eius filiæ ſunt.

Rixę. Tumor mētis. Contumeliæ. Clamor. | Indignatio. Minę. Vltio. Blaſphemia.

Iram compeſcunt Pacientia,& Manſuetudo.

Accidia eſt remiſsi animi languor ad bene operandum, pręſertim uero eſt Triſtitia de re ſpirituali.

Gignit filias iſta.

Malitiam, Rancorem, Puſillanimitatem, Torporē circa pręcepta neceſſaria. | Mentis euagationē Ocium, Incontinentiam. Deſperationem Omiſsionem.

Quæ pelluntur. Deuotione, & Exercitiis piis.

Capitalia iſta ſignificata fuerunt in ſeptem populis, qui terram promisſionis Iſrael promiſſam tenebant, & de his cunctę mortiferæ animarum corruptelæ emanant.

Duobus modis peccatum dicitur eſſe in aliquo, & tranſire.
Actu, &
Reatu.

 Actu

Actu eſt in aliquo, dum ipſum, quod peccatum eſt, ut actio, uel uoluntas, in peccante eſt.

Reatu uerò, cum pro eo, ſiue tranſierit, ſiue adſit, mens hominis polluta eſt, & corrupta, totusque homo ſuppliciis obligatur perpetuis.

Reatus accipitur in ſcriptura { pro culpa, pro pœna, pro obligatione pœnæ temporalis, & pęnæ æternæ

POENITENTIA quin etiam eſt ſecunda tabula poſt naufragium, cum prima tabula ſit Baptiſmus, ubi deponitur uerus homo, & induitur nouus.

Secunda ergo eſt pœnitentia, qua poſt lapſum reſurgimus, dum uetuſtas reuerſa repellitur, & nouitas perdita reſumitur.

Ad agendum pęnitentiam alicui non ſufficit mores in melius commutare, & à malis factis recedere, niſi de his, quæ facta ſunt, ſatisfaciat domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſinis.

Pœnitentiæ ſacramentum inſtituit Chriſtus, quando exordiū ſuæ ſaluberrimæ prædicationis aſſumpſit ſic dicens. Pęnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cęlorū.

Quæ pęnitentia, etſi in extremo uitæ hiatu ueniat, ſanat, & liberat. ſed ualde periculoſum eſt ipſam differre uſque in finem uitæ.

Et licèt ſit difficile, quod tunc ſit uera pęnitentia, quæ tam ſera uenit, quando cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, ut uix homo cogitare aliquid ualeat, tamen melior eſt ſera, quàm nulla.

Et licèt etiam quod latro ueniam meruerit in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi, & perſeuerandi auctoritatem. Pęnitentię ergo tempus eſt uſque ad extremum uitæ articulum. Tamen D. Aug. ita ſcribit.

Si quis poſitus in ultima neceſsitate uoluerit accipere pęni-



pœnitentiam, & ſic accipit, & mox reconciliatur, & hinc uadit, fateor uobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia bene hinc exit. ſi ſecurus hinc exierit; ego neſcio; pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non; Nunquid dico damnabitur? ſed nec dico liberabitur.

Item duæ ſunt (inquit) res, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur, quid horum tibi ſit futurum, ego neſcio. Ergo tene certum, & dimitte incertum.

Cogatur ergo unuſquiſque ſic delicta ſua corrigere, ut poſt mortem pœnam non toleret, quia ſi interior pęnitudo fuerit tanta, ut ſit ſufficiens ultio peccati; Deus, qui hoc nouit, ab illo, qui taliter pęnitet, ulterius pęnā nō exigit.

Si uerò interior pęnitudo non ſufficit in uindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur, addit Deus poſt mortem pœnam ſufficientem, & ignē purgatorii ſentit. Conteratur ergo unuſquiſque, & cōfiteatur peccata ſua agendo ſecundam partem pœnitentiæ, etiam quæ eſt

CONFESSIO, quæ duobus modis accipitur.

Primo modo, quando eſt Dei laudatio. unde confiteri, eſt Deum laudare; ut in Pſalmo. Cōfitemini domino quoniam bonus.

Secundo modo confeſsio, idem eſt, quod peccatorum coram ſacerdote manifeſtatio, & hæc eſt pars illa ſecunda pœnitentiæ, de qua ſupra dicitur, & præcipitur nobis ibi quando dicitur. Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Et ibi etiā, Effundite coram illo corda ueſtra. Et ibi, Confitemini alterutrum peccata ueſtra.

Confeſsionem diffiniunt Patres, eam eſſe peccatorum accuſationem, quæ ad ſacramenti genus pertinet, eo ſuſceptam, ut ueniā uirtute clauium impetremus, ueluti cum Sanctus Auguſtinus inquit.

Confeſsio eſt, per quam morbus latens ſpe ueniæ aperitur. Gregorius item.

Con-

Confeſsio eſt peccatorum deteſtatio, quarũ utraque quòd in ſuperiori definitione continetur facilè ad eam referri poterit.

Curandum ſedulo, eſt ut confeſsio ſit

Integra, & Abſoluta, quod adeò neceſſarium eſt, ut ſi quis dedita opera alia quidem ex iis quæ explicari debent prætermittat: alia uerò tantum confiteatur, non ſolum ex ea confeſsione, is commodum nullum conſequatur, ſed etiam nouo ſcelere ſe obſtringat.

NON diſſoluta, ne fortè nimis remiſſæ conſcientiam noſtram ſcrutari ſimus, adeoquam negligenter peccata admiſſa memoria repetere ſtuduerimus, ut ea ne recordari quidem uoluiſſe, merito uideri poſsimus.

Nuda, Simplex, & Aperta, non artificioſè compoſita, ut à nonnullis fit, qui potius uitæ ſuæ rationem exponere, quàm peccata confiteri uidentur.

Prudens, & Verecunda, neque enim nimis multis uerbis agendum eſt, ſed quæ ad cuiuſque naturam, & rationem pertinent, breui oratione, quæ modeſtiam coniunctam habeat aperienda ſunt.

Secreta, in quo tum confitenti, tum ſacerdoti, maximè laborandum eſt, ut eorum ſermo in confeſsione ſecretò habeatur. Quare fit ut nemini omnino, neque per nuncium, neque per litteras, quoniam ea ratione, nihil iam occultè agi poteſt, peccata confiteri liceat.

Frequens, nulla enim res fidelibus adeo curæ eſſe, quàm ut frequenti peccatorum cõfeſsione animam ſtudeant expiare, etenim cum aliquis mortifero ſcelere urgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt, ob multa quæ impendent, uitæ pericula, quàm ſtatim peccata ſua confiteri.

Confeſsio Chriſto Deo, qui bene omnia, & unius ſalutis noſtræ cauſa fecit, ob eius ſummam bonitatem, & miſericordiam inſtituta eſt, Quæ

Confeſsio duplex eſt, { Mentalis, & Vocalis.

Mentalis



Mentalis, peccatorum confeſsio eſt, quam facimus toto corde adiuti, quodammodo per fidẽ ditamine legis naturę.

Vocalis, peccatorum confeſsio, { Alia fit Deo, Alia fit homini. }

Confeſsio quæ fit Deo uocaliter poſt lapſum hominis ſtatim fuit neceſſaria, & à Deo inſtituta, quando dixit, Adã ubi es? inquit Gloſſa.

Verba illa ſunt increpantis, & ad confeſsionem cogentis, & non ignorantis, & conſtat quod loquitur de confeſsione uocali fienda Deo, quia tunc Deus, non homo uocaliter loquebatur ipſi Adam, ergo ab illo tempore citra fuit neceſſaria confeſsio Deo fienda.

Confeſsio fienda homini uocalis in lege noua fuit inſtituta a Chriſto incarnato, dicente ipſo Petro Apoſtolo, & in ipſo omnibus aliis, Tibi dabo claues regni cœlorum quorum remiſeris peccata, remittuntur; & quorum retinueris retenta ſunt.

Qui ſua peccata redimere uult temporaliũ oblatione prius offerat mentem.

Caueat etiam ne ductus uerecundia diuidat, apud ſe confeſsionem, ut diuerſa diuerſis uelit ſacerdotibus manifeſtare.

Caueat etiã ne prius ad dominicum corpus accedat, quàm confortetur bona conſcientia, & doleat quod nondum audeat ſumere quem multum deſiderat cibum ſalutarẽ.

In confeſsione facienda quiſque adhibere conuenit Tria.

{ Primo; Enumerationem ſcilicet peccatorum mortalium, quæ omnia ſacerdoti aperire oportet.
Enumerationẽ uenialium, quæ quidẽ ſine culpa prætermitti, multiſque aliis rationibus expiari poſſunt, utiliter tamen, quod piorum uſus demõſtrat confitemur.
Enumerationem itaque circunſtantiarum, quæ prauitatem ualde, { uel augent, uel Minuunt. } }

Secundo

Secundo Rationem. { Temporis, & / Aetatis. }

Temporis: ſancta enim eccleſia in Concilio Lateranenſi iubet quidem ſemel ſaltem quotannis fideles omnes peccata ſua confiteri. Verum ſi quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet, conſideremus profecto quoties, uel mortis periculum imminet, uel aliquam rem tractare aggredimur, cuius tractatio homini peccatis contaminato non conueniat, ueluti cum ſacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſsio prætermittenda non eſt.

Aetatis, in qua illud uniuersè ſtatuendũ uidetur, ab eo tempore confeſsionem puero indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſceruendi uim habet, in eiusque mentem dolus cadere poteſt.

Tertio Cæremonias, & Ritus, qui & ſi ad ſacramenti rationem non ſpectant, eius tamen dignitatẽ magis ante oculos ponunt, & confitentium animos pietate accenſos, ad Dei gratiam facilius conſequendam præparant.

Cum enim aperto capite, ad pedes ſacerdotis abiecti, demiſſo in terram uultu, ſupplices manus tendentes, aliaq; huiuſmodi chriſtianæ humilitatis ſigna dantes, quæ ad ſacramenti rationem neceſſaria non ſunt, peccata confitemur, ex his perſpicuè intelligimus, tum in ſacramento cœleſtem uim agnoſcendam, tum a nobis diuinam miſericordiam ſummo ſtudio requirendam atque efflagitandam eſſe.

Omnis ergo (ut iam dixi) cum fuerit in ætate diſcretionis, ita quod poſsit cognoſcere bonum, uel malum, tenetur ſemel in anno.i.in quadrageſima cõfiteri, & hoc ex decreto (ut dixi) Concilii generalis ext.de pœnit.& remi.c. omnis utriuſque ſexus.

Et contra tranſgreſsores illius decreti ponitur pœna ibidem, quod uiuẽtes ab ingreſſu eccleſiæ arceantur, & morientes chriſtiana careant ſepultura. & ita

Confeſsio



Cõfeſsio eſt facienda ſoli ſacerdoti habenti claues miniſterii in collatione ordinis eis data. Et quod confitenda eſſent peccata ſacerdotibus, figuratiue Chriſtus inſtituit, quãdo decem leproſis ab ipſo mundatis præcepit diicẽs,

Ite oſtendite uos ſacerdotibus.

Præceſsit enim hæc inſtitutio in figura in lege antiqua, in hoc, quod ſacerdotibus data erat authoritas diſcernendi inter lepram, & lepram, & inter profanum, & ſanctum, & iſta erant quædam corporalia, & non ſpiritualia, & in lege noua hæc figura fuit adimpleta, cum dixit Oſtendite uos ſacerdotibus, &c.

Miniſter ergo confeſsionis, debet eſſe legitimus, & Idoneus qualis eſt ſacerdos, qui habeat poteſtatem

{ ORDINIS. & / IVRISDICTIONIS. } uel

ORDINARIAM, uel DELEGATAM. ut ex eccleſiaſticis ſanctionibus ſatis apparet.

Quamquã enim, ſi mortis periculũ iminet, & proprii ſacerdotis facultas nõ datur, quilibet ſacerdos, & peccata cõdonare, & ab excõmunicationis uinculo abſoluere põt.

Item Miniſter debet eſſe præditus, ſcilicet

{ Prudentia, & / Scientia } quæ in eo requiruntur, ut in iudice, cui ſciẽtia nõ uulgaris eſt neceſſaria, qua & peccata inueſtigare, & ex uariis peccatorũ generibus, quę grauia, quę leuia ſint, pro cuiuſq; hominis ordine, & genere iudicare poſsit, & ut in Medico, qui ſumma quoq; prudentia indiget, ut & remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam ſanandam, & in poſterum contra morbi uim muniendam aptiora eſſe uideantur.

Sacerdoti ergo habenti poteſtatem, ſcientiam, ut ſupra, & claues debet quis confiteri.

Triplex enim eſt clauis. { Auctoritatis, / Excellentiæ, & / Miniſterii. }

M Au-

Auctoritatis clauē habet ſolus Deus, & de hac loquebantur Iudæi dicentes,
Quis poteſt dimittere peccatum, niſi ſolus Deus? & hoc eſt uerum auctoritate.
Excellentiæ clauem habet Chriſtus homo, & de hac loquebatur Iſaias in perſona Dei loquens de Chriſto.
Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius. Et dicitur habere clauem excellentiæ, in quantum per paſsionem ſuā ſatisfecit peccatis noſtris, & non ſolum pro noſtris, immo pro totius mundi natura humana.
Vnde ſicut Chriſtus retinuit ſibi poteſtatem baptiſmi, ita & pœnitentiæ. Et ideo ſicut interius gratia ſua animam illuminat, ita & ſimul debitum æternæ mortis relaxat. Iſaias inquit, ego ſolus deleo iniquitates, & peccata populi.
Item Ambroſius. Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos eſt iudex. ſacerdos quidem officium ſuum exhibet, non propria poteſtate exercet, ſed à Deo accepta.
Idem ille ſolus peccata dimittit, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt, per ſe principaliter, & per ſacerdotes miniſtros.
Item Auguſtinus. Nemo tollit peccata, niſi ſolus Deus, qui eſt Agnus tollens peccata mundi.
Et ita hoc ſane dicere, & ſētire poſſumus, quod ſolus Deus dimittit peccata, & tamen eccleſiæ contulit poteſtatem, ligandi, & ſoluendi, ſed aliter ipſe ſoluit, uel ligat, aliter eccleſia.
Ipſe enim per ſe tantum dimittit peccatum, qui & animam mundat ab inferiori macula, & à debito æternæ mortis ſoluit propria auctoritate hoc autem conceſsit ſacerdotibus, quibus tribuit poteſtatem ſoluendi, & ligandi. Miniſterialiter tamen
Et ſciendum quoque quod non ſemper Deus ſequitur eccleſię iudicium, quando ipſius ſacerdos per ſurreptionē, & ignorantiam, conſcientiæ intrinſecè interdū iudicat.



Deus enim ſemper iudicat ſecundum ueritatem, & in remittendis, uel retinendis culpis, id iuris, & officii habēt euangelici ſacerdotes quod olim habebant ſub lege legales in curandis leproſis. Hi ergo peccata dimittunt, uel retinent, dum dimiſſa à Deo, uel retenta iudicant, & oſtendunt.
Sacerdotes ligant & ſoluunt, dum ſatisfactionem pęnitentiæ confitentibus imponunt, ſoluunt cum de ea aliquid dimittunt, uel per eam purgatos ad ſacramentorum cōmunionem admittunt.
Miniſterii clauem, habent omnes ſacerdotes, & datur eis in collatione ordinis ſacerdotalis, & de iſta fuit dictum Petro.
Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlo, hoc eſt.
Ego dominus Deus, & omnes cęleſtis curiæ ordines, & omnes ſancti in gloria mea laudant uobiſcū, & confirmant, quos ligatis, & ſoluitis.
Vtilis eſt confeſsio itaque non tantum ſed etiā neceſſaria.
Vtilis. Ad conſequendum ſcelerum remiſsionem.
Ad mores emendandos.
Ad cohibendam peccandi conſuetudinem: etenim confitendi uerecundia, delinquendi cupiditati, & licentiæ, tamquam freno iniicit, & improbitatem coercet.
Neceſſaria, quod quidem pulcherrima translatione à Domino apertè ſignificatum uidemus, cū huius ſacramenti adminiſtrandi poteſtatem, clauem regni cœlorum appellauit. Sicut. n. locum aliquem, ingredi nemo poteſt ſine eius opera, cuiꝰ claues commiſſæ ſunt; ſic intelligimus, neminem in cęlum admitti, niſi fores à ſacerdotibus, quorum fidei claues dominus tradidit, aperiantur.
Aliter enim nullus planè clauium uſus in eccleſia eſſe uidebitur, ac fruſtra is, cui clauium poteſtas data eſt, quempiam

piam cęli aditu prohibebit, ſi tamen alia uia introitus patere queat.

Sine oris confeſſione, & abſq; ſatisfactione, uel ſolutione pœnæ exterioris, peccata delentur, per cordis contritionem, & humilitatem ſolam, quando non poteſt habere confitendi facultatem, & ſatisfaciendi extrinſecè.

Ex quo enim proponat mente compuncta ſe confeſſurum Deus dimittit, quia ibi eſt confeſſio cordis, etſi nõ oris, per quam anima interius mundatur a macula, & a contagio peccati cõmiſſi, & debitũ ęternæ mortis relaxatur.

Oportet enim pœnitenrem confiteri, ſi tempus habeat, & tamen antequàm ſit confeſſio in ore, ſi uotum ſit in corde, præſtatur remiſſio.

Aliquibus placet, & ſic uiſum eſt dicere, ſufficere, ſi ſoli Deo fiat confeſſió, ſine iudicio ſacerdotali, & confeſſione eccleſiæ, ſe fundantibus ſuper Pſalmo Dauid.

Dixi confitebor domino iniquitates meas, & tu remiſiſti, & dicentibus, quod non dixit, ſacerdoti, tamen remiſſum ſibi peccatum dicit,

Sed omnino tenendum eſt, & indubitanter oportere Deo primum, & deinde ſacerdoti offerre confeſſionem, nec aliter poſſe perueniri ad ingreſſum Paradiſi, ſi adſit facultas, ut dicebat Iacobus.

Confitemini alterutrum peccata ueſtra.

Auguſtinus dicebat. Quem pęnitet, omnino pęniteat, & dolorem lacrimis oſtendat, repræſentet uitam ſuam Deo per ſacerdotẽ, præueniat iudicium Dei per confeſſionẽ.

Præcepit enim dominus mundandis, ut oſtenderent ora ſacerdotibus docẽs, corporali pęnitẽtia cõfitẽda peccata.

Sequitur ergo, quod non ſufficit ſoli deo confiteri, ſi tempus adſit, Fruſtra enim Chriſtus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidiſſet poteſtatẽ, ut cõfitentibus pęnitẽtiæ ſatisfactionẽ darẽt, & eoſdẽ ſalubri ſatisfactione purgatos, ad cõmunionẽ ſacramentorũ per ianuã recõciliationis admitterent,



rent, Ita quod nec eſt uerè humilis, & pęnitens quis, ſi non deſiderat, & requirit ſacerdotis iudicium.

Sacerdotis examen, omnino & ſtudioſè requirendum eſt, quia ſacerdotibus conceſsit Deus poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, & ideo quibus ipſi dimittunt, & Deus dimittit, ſi tamen defuerit ſacerdos, proximo, uel ſocio eſt confeſsio facienda, non tamen neceſſariò.

Sed qui uult confiteri peccata, ut inueniat gratiam, quærat ſacerdotem, qui ſciat ligare, & ſoluere, ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quã ſtultus euitare noluit.

Quia fidelium ſaluti omni ſtudio ſuccurrendum eſt, ideo Sacerdotes in pęnitente diligenter hæc obſeruabunt. Si ueram peccatorum ſuorum contritionem pęnitens habeat, certumq; illi ſit, in poſterum à peccatis abſtinere, admoneatur ab ipſo ſacerdote.

Vt pro tanto, & tam ſingulari beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoq; cęleſtis gratiæ præſidiũ petere nunquàm deſinat.

Vt nullum patiatur eſſe diẽ, quin aliquid de paſsionis domini miſteriis meditetur, ad eumque imitandum, & ſumma caritate amandũ, ipſe ſe excitet, atq; inflãmet.

Sin uerò adeo peccata ſua non doleat, ut uerè contritus dicendus ſit, conetur magno contritionis deſiderio eũ afficere, ut deinde huius pręclari doni cupiditate incenſus, illud à Dei miſericordia petere, & efflagitare in animum inducat.

In primis reprimenda eſt illorum ſuperbia, qui ſcelera ſua excuſatione aliqua, uel defendere, uel minora facere nituntur.

Præterea grauis, & pernicioſior illorũ culpa eſt eis oſtendenda, qui ſtulta quadam uerecundia impediti peccata confiteri non audent.

Poſtre-

Poſtremo illos arguendo admonere, qui uel quod raro peccata confiteri ſolent, uel quod nullam curam, & cogitationem, in perueſtigãdis ſuis ſceleribus poſuerunt, nec commiſſa confeſsione expedire, nec unde, eius officii initium ducendum ſit, ſatis ſciunt.

Sacerdos cui omnes offertur peccator prius ſe iudicet, antequàm alios alliget. Animaduertat qui ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat.

Caueat quoque ſpiritualis iudex ſicut non commiſit crimẽ nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Iudiciaria.n. poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet iudicare diſcernat.

Sacerdos ergo diligens ſapienter interroget à peccatore, quod forſitan ignorat, uel uerecundia uelit occultare.

Et cognito crimine, uarietates eius non dubitet inueſtigare, & locum, & tempus, &c.

Quibus cognitis adſit beneuolus, paratus erigere, & ſecũ onus portare, habeat dulcedinem, in affectione, diſcretionem in uarietate, doceat perſeuerantiam, caueat ne corruat, ne iuſtè perdat iudiciariam poteſtatem.

Si quiſpiam crederet ſatis eſſe confiteri ſacerdoti ſe peccatorem eſſe, citra enarrationẽ ſuorũ peccatorũ falleretur.

Nullo modo enim ſatis eſſet, quia cõmittitur ſacerdoti iudicium remittendi, retinendique peccata.

Hoc autem iudicium, abſque peccatorum notitia exerceri non poteſt. Præterea in nouo Teſtamento ſæpe fit mentio de confeſsione ſub hac forma

Matth.3. Confitentes peccata ſua.
Act.Apoſt.19. Confitentes, & annunciantes actus ſuos.
Iacob.ultimo. Confitemini alterutrum peccata ueſtra.
2.Ioan.1. Si confiteamur peccata noſtra, &c.

Hæc autem non ſunt adhortantis, ut confiteamur nos peccatores, ſed ut cõfitendo annunciemus facta noſtra quibus Deum offendimus.

Itaque omnia, & ſingula peccata, tam occulta cordis, quàm



quàm manifeſta, ſacerdoti aperienda ſunt. Deinde ſatisfaciendo plenam pęnitentiam amplexi erimus.

SATISFACERE ergo, ut nonnulli definierunt eſt Deo debitum honorem impendere, quod nõ poteſt, niſi quia peccata uitare omnino conſtituat.

Cauſas peccatorum excidere, & earũ ſuggeſtionibus aditum non indulgere; in quam ſentẽtiam alii aſſenſerunt, ſatisfactionem eſſe purgationem, qua eluitur, quicquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit, atque à pęnis tempore definitis, quibus tenebamur abſoluimur.

Et præcipitur hæc nobis à Ioanne ubi dicit: Facite dignos fructus pęnitentiæ, ſcilicet ut ſecundum qualitatem, & quantitatem culpæ, ſit qualitas, & quantitas pęnæ. Non enim par debet eſſe fructus boni operis, eius qui nihil, uel minus peccauit, & eius qui grauius cecidit.

Conſideret pœnitens qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perſeuerãtia, in uarietate perſonæ, & quali hoc fecerit tẽtatione, & in ipſius uicii multiplici executione.

Cõſideret, & quantũ perſeuerauerit, & defleat, quod perſeuerãter peccauerit, & quãta uictus fuerit impugnatione.

SATISFACTIONIS etiam alterum genus eſt, quæ & canonica appellatur. Et certo tẽporis ſpacio definita perficitur. Quare antiquiſsimo eccleſiæ uſu receptum eſt, ut cum pęnitentes, à peccatis ſoluuntur, pęna aliqua eis irrogetur, cuius pęnę ſolutio, ſatisfactio uocari conſueuit.

Eodem uerò nomine quodlibet etiam pęnæ genus ſignificaiur, quam pro peccatis, non quidem à ſacerdote conſtitutam, ſed ſponte noſtra ſuſceptam, atque à nobis ipſis repetitam ſuſtinemus; uerum hæc ad pęnitentiam, ut ſacramentum eſt minimè pertinet.

Sed illa tantum ſacramenti pars cenſenda eſt quam ut ſupra dixi ex præcepto ſacerdotis Deo pro peccatis depẽdi, hoc adiuncto, ut ſtatutam cum animo, & deliberatum

ſtum habeamus, peccata in poſterũ omni ſtudio uitare.

Et quia tres ſunt radices peccatorum ſecundum Ioannem in prima ſua canonica dicens: Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupſcentia oculorum, aut ſuperbia uitæ. Ideo contra iſtas tres radices ordinantur tres partes ſatisfacti onis, ut hiſce morbi cauſis totidem opponantur medicinæ.

Ieiunium, ut nos ipſo caſtigemus.
Eleemoſina, ut proximo, quẽ offendimus, ſatisfaciamus.
Oratio, ut Deum, quem offendimus, placemus.

Quæ Oratio, Ieiunium, Eleemoſina, reſpondent tribus bonis.

Animæ,
Corporis,
Externis,

Quæ omnia à Deo accepimus.

Prima itaque pars ſatisfactionis eſt Eleemoſina, quæ (ut inquit Tobias) eſt illa, quæ animam, à morte, & a peccato liberat, & non patietur illam in tenebris ire. Quæ Eleemoſina Triplex eſt. &

Prima conſiſtit in cordis contritione, & de hac dicit ſapiens. Miſerere animæ tuæ placens Deo. Et hæc non eſt pars ſatisfactionis, immo pars integralis pœnitentiæ commiſſa ſatisfactioni.

Secunda eſt illa, quæ conſiſtit in compaſsione proximi, in quantum compatimur alienis miſeriis, ſicut noſtris, & de hac loquitur Iob, dicens. Ab initio conualuit me cõmiſeratio, & ab utero matris meæ egreſſa eſt mecum.

Tertia conſiſtit in largitione manuali. i. quando aliquis exhibet alicui aliquod tẽporale ſubſidium propter Deũ, & de hac ſaluator ait in Luca, dicẽs. Date eleemoſinã, & ecce omnia mũda ſunt uobis, & Ambroſius. Paſce moriẽtem famè, & niſi paueris, occidiſti, & de hac intenditur.

Et aduertendũ eſt, quod permanẽtes in peccato mortali, & ſi eleemoſinas largas faciunt, non tamen per eas ſatisfaciunt, quia inordinatè agunt, qui à ſe non incipiunt.

Secun-



Secunda ſatisfactionis pars eſt

Ieiunium, de quo dicitur in Tobia. Bona eſt eleemoſina cum ieiunio.

Quod ieiunium Triplex eſt.

Primum eſt abſtinentia corporis a cibo materiali.
Secundum eſt afflictionis a gaudio temporali.
Tertium eſt abſtinere a peccato mortali, & hoc Triplici ieiunio debemus caſtigare iumentum noſtrum. Parũ enim proficit ieiunare a cibo, niſi ieiunetur a peccato.

Vnde Iſaias dicit in perſona ieiunantium, & reſpondit in perſona Dei. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & pcutitis pugno impie, nunquid tale eſt ieiunium? Nihil enim prodeſt homini ieiunare, & orare, & alia religionis opera agere niſi mens ab iniquitate reuocetur.

Tertia ſatisfactionis pars eſt,

Oratio, & ſic a Damaſceno definitur. Oratio eſt pius affectus mentis in Deum tendens, uel congeries uocum in Deum tendentium. Nota, quod in oratione non debent peti corporalia, ad minus principaliter, ſed ſpiritualia, iuxta illud Euangelii: Primum querite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia temporalia adiicientur uobis.

In ſatisfactione duo præcipuè requiruntur.

Primum eſt, ut is, qui ſatisfacit, iuſtus ſit, ac Dei amicus. Opera enim, quę ſine fide, & charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt.

Alterum, ut eiuſmodi opera ſuſcipiantur, quę natura ſua dolorem, & moleſtiam afferant.

Duo ſunt, quæ peccatum conſequuntur.

Macula, &
Pœna.

Ac quamuis ſemper culpa dimiſſa, ſimul etiam mortis æternæ ſupplicium, apud inferos



con-

conſtitutum condonetur.

Tamen non ſemper contingit, quemadmodum a Tridentina ſynodo declaratum eſt, ut Dominus peccatorum reliquias,& pęnam certo Tempore definitam, quę peccatis debetur, remittat.

Ea etenim de cauſa frequentiſsime a D.Aug.docemur, duo hæc in pęnitentia animaduertenda eſſe

- Miſericordiam Dei, quæ peccata,& pęnas ęternas illi debitas condonat.
- Iuſtitiam Dei, qua pęnis tempore definitis hominem punit.

Vis ſatisfactionis demum quanta ſit, ex eo colligitur, quod tota a Chriſti Domini paſsionis merito pendet. A quo etiam honeſtis actionibus duo illa maxima bona conſequimur

- Alterum, quorum eſt, ut immortalis gloriæ præmia mereamur, ita ut Calix etiam aquæ frigidę, quam in eius nomine dederimus, mercede non careat.
- Alterum, ut pro peccatis noſtris ſatisfaciamus. Neq; uero id perfectiſsimam Chriſti domini ſatisfactionem obſcurat, ſed multo clariorem,& illuſtriorem reddit. Chriſtus enim dominus tanquàm caput in membra,& vitis in palmites gratiam ſuam in eos, qui ſibi per charitatem coniuncti ſunt, continentes diffundit.

Quæ quidem gratia, bona opera noſtra ſemper antecedit, committatur & conſequitur, & ſine qua mereri, & ſatisfacere Deo nullo modo poſſumus.

Satisfactionem iniungit ſacerdos duabus de cauſis

- Aut, ut ex labore adimplendę pęnitentiæ pęnitens in poſterum a tali arceatur peccato.
- Aut, ut ea ſit ſatisfactoria partis pęnæ peccato debitæ alioqui in purgatorio luendæ.

Satisfactionis optimus modus eſt, commiſsi peccati frequens deteſtatio. D. Bernardus inquit, uerè penitens

ſemper



ſemper eſt in dolore,& labore, dolet de præteritis, laborat pro futuris cauendis.

Menſuram temporis in agenda pœnitentia, ideo non ſatis apeetè præfigunt Canones pro uno quoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emēdandum ſit, ſed magis in arbitrio ſacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuerunt, quia apud Deum non tantum ualet menſura temporis, quantum doloris, nec abſtinentia tantum ciborum, quantum mortificatio uitiorum.

Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura inquirenda eſt confeſsio peccatorum, non tamen eſt illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda.

Debet ſacerdos in imponenda pœnitentia habere intuitū ætatis ſenilis,& reſpicere periculorum quorumcunque, uel ægritudinum neceſsitates.

Si presbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia dominus ait, Cum conuerſus fuerit aliquis, ſaluus erit. ideo tempore neceſsitatis, non eſt neganda pœnitentia, uel reconciliatio pęnitentibus.

Si aliquis currens ad pęnitentiam,& ſacerdotem inuenire non potuerit, ita decedat, & morte præueniatur, oblatio eius omnino eſt recipienda, & iam a Deo recepta.

Sacerdos, qui aliis peccata confitentium prodierit, deponatur,& omnibus diebus uitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.

Si peccata redeant, uel non; quibuſdam placet ea redire iuxta illud Ambroſii.

DONATE inuicem, ſi alter in alterum peccat; alioquin Deus repetit dimiſſa; & iuxta illud euangelii de ſeruo nequàm, qui in conſeruum ſuum impius deprehenſus eſt.

Sed quia uidetur abſonum, ut peccata dimiſſa iterum imputentur, placet quibuſdam neminem pro peccatis ſe-

 mel

mel dimiſsis iterum a Deo puniri. Quod ſi iterum redirent, uideretur Deus bis in idipſum iudicare, & duplex tribulatio conſurgere, quod ſcriptura negat. Sed ideo dicũtur dimiſſa redire, & imputari, quia propter ingratitudinem, ita reus, & Peccator conſtituitur, ut ante fuerat, ſic enim quod dimiſſum fuerat dicitur exigi, quia remisſionis perceptæ ingratus, ita reus fit, ut ante fuerat.

Quodcunq; ligaueris, ac ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & ligatum, & in cœlo. Hoc modo ſunt intelligenda hæc uerba, hoc eſt in illis, quorum merita ſolui, uel ligari poſtulant, quia interdum ſolutos, uel ligatos ſacerdotes credunt, qui ita non ſunt apud Deum; & pœna ſatisfactionis, & excommunicationis interdum indignos ſacramẽtis admittunt, & dignos admitti arcent.

Tunc enim ſententia ſacerdotis iudicio Dei, & totius cœleſtis curiæ approbatur, & confirmatur, cum ita ex diſcretione procedit, ut reorum merita non contradicant.

Claues miniſterii ſcilicet ligandi, & ſoluendi, cuncti ſacerdotes habent; ſed non eas rectè ac dignè, ideſt ad ſui propriam utilitatem utuntur, niſi qui uitam, & doctrinam bonam ſeruant.

Et quod ita ſit, teſtatur Hieronymus dicens ſuper illum locum dictum Petro.

Tibi dabo claues regni cœlorum. habent (inquit) eandem iudiciariam poteſtatem alii Apoſtoli, habet & omnis eccleſia in epiſcopis, & presbyteris.

Sed ſi malus eſt ſacerdos, tamen gratiam transfundit, pro ſuæ dignitatis officio. Nec obſtat quod Dominus per Malachiam Profetam malis ſacerdotibus comminatur dicens. Maledicam benedictionibus ueſtris, quia debemus referre ad hæreticos, qui ab eccleſia ſunt præciſi, & ad excommunicatos.

In



In pœnitentię impoſitione, apparet tertia pars principalis materiæ, ideſt ſatisfactio, quatenus eſt ex parte peccatoris, ſine qua ſaltem in affectu non eſt perfectum huiuſmodi ſacramentum, nec poteſt debita forma apponi per miniſtrum, quæ eſt abſolutio, donec ipſa materia debita primo integrè ſit peracta, quæ in tribus conſiſtit, ſcilicet, in cordis Contritione, oris Confeſsione, operis Satisfactione.

MATERIA penitentiæ ſunt iſtę tres partes, Contritio, Confeſsio, Satiſfactio.

FORMA, ego te abſoluo, & præcedit Miſereatur, & Indulgentiam, & poſt dicatur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius abſoluo te a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Paſsio domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſsionem peccatorum tuorum, & in augmentum gratiæ, & præmium uitæ æternæ.

Altera.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius, qua fungor, abſoluo te a uinculo excommunicationis minoris ſi teneris, in quantum poſſum, & debeo, & reſtituo te ſacramentis eccleſiæ ſi indiges. Iterum abſoluo te ab omnibus peccatis tuis mortalibus, & ueniali bus, confeſsis, oblitis, ignoratis, & a circunſtantiis eorum, quomodocunque, & qualitercunque offendiſti Deum creatorem tuum, animam tuam, & proximum tuum. Omnia bona quæ feciſti, & facies, & mala, quæ ſuſtinuiſti, & ſuſtinebis, ſint tibi in pęnitentiam, & remiſſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium uitæ ęternæ. Amen.

A ſacerdotibus hoc in primis obſeruari oportet, ut audita peccatorum cõfeſsione, antequàm pęnitentẽ a peccatis

abſol-

abſoluant, diligenter curent, ut ſi quid ille fortè, de Re aut de exiſtimatione proximi detraxerit, cuius peccati damnandus meritò eſſe uideatur, cumulata ſatisfactione compenſet.

Nemo abſoluendus eſt, niſi prius quæ cuiuſque fuerint, reſtituere polliceatur. At quoniam multi ſunt, quibus & ſi prolixè pollicentur, ſe officio ſatis eſſe facturos, tamen certum eſt ac deliberatum, nunquàm promiſſa exoluere, omnino ii ſunt cogendi.

Sacerdotes in irroganda ſatisfactionis pœna, nihil ſibi ſuo arbitratu ſtatuendum eſſe, ſed omnia iuſtitia, prudentia, & pietate dirigenda exiſtimabunt.

EXCOMMVNICATIO generaliter, ſic uidetur poſſe diffiniri, ipſam eſſe a communione, ſeu conſortio fidelium ſeparationem.

Duplex dicitur excommunicatio. { Maior, & / Minor }

Maior ſeparat à ſacramentis, à communione fidelium, & ab ingreſſu eccleſiæ, & hæc dicitur maior, & anathema.

Minor autem ſeparat à ſacramentis tantum, à perceptione .ſ. non à collatione, ab electione quoque paſſiua, ſicuti inhabilitas beneficii cõſequendi, ſed cõferendo peccat mortaliter talis excommunicatus, ſed tenet collatio.

Excommunicatio quoque tam maior, quàm minor infligitur duobus modis.

Aliquando infligitur a iure communi, ſeu municipali, uel ſtatuto, & eſt illa quam quis incurrit ipſo iure delicto cõmiſſo. v.g. ut ſi quis iniiciat manus uiolentas in clericũ.

Aliquando infligitur a iudice poteſtatem habente, & hæc dicitur ab homine, uel a iudice.

Licèt plures caſus numerentur in iure, in quibus incurritur minor excommunicatio ipſo iure, tamen omnes reducuntur ad duos.

Primus eſt peccatum mortale, nã quotieſcunque quis peccat

cat



cat mortaliter, eſt excommunicatus excommunicatione minori ipſo facto, & ſic ſeparatur a ſacramentis.

Secundus eſt, cum quis participat cum excõmunicato maiori excommunicatione, in locutione, oratione, ſalutatione, comeſtione, & ſimilibus.

Caſus, in quibus quis incurrit ipſo facto maiorem excõmunicationem, & a qua non poteſt abſolui niſi a Papa, ſunt trigintaocto, ſecundum Angelum de Glauaſio.

Tamen hę excommunicationes maiores, de quibus non poteſt haberi abſolutio, niſi per Pontificem in corpore iuris, uidentur eſſe decem, & ſeptem.

Vna in Decreto.

17.c.q.4.ca. Si quis ſuadente diabolo, in quo de uiolenta iniectione man. 150.

Quinque in Decretalibus.

Prima in cap. quærenti, de officio delegati, uidelicet quãdo quis fuiſſet excommunicatus a Delegato Papæ, qui excommunicatus poteſt infra annũ ab ipſo abſolui, poſtea uerò non, ſed a Papa.

Secunda contra falſificantes literas apoſtolicas extra de crimine falſi. c. ad falſariorum, & Dura.

Tertia contra incendiarios, & effractores locorum ſacrorum, ex. eod. de ſent. ex. c. tua nos, & conqueſti.

Quarta, idem etiam de uiolatoribus earum extra de iudiciis. c. quanto.

Quinta, cum quis clericus ſcienter participat cum excommunicato in diuinis officiis ext. eodem. c. ſignificauit.

Quatuor in ſexto.

Prima contra inſecutores Cardinalium cum omnibus in delicto participantibus, ext. eo. c. Fęlicis.

Secunda contra eligentes, ſeu aſſumentes aliquos ad regimen ciuitatis Romæ non obſeruata forma. c. fundamenta de electione.

Tertia ext. eo. c. quicunque.

Quarta

Quarta de uerb.ſignifi.in cap.exiit qui ſeminat.
Septem in Clementinis, ut habetur in ipſis.
Septem quoque in extrauagantibus habentur aliæ.
In proceſſu annali curię quoque habentur treſdecim.
Ex priuilegiis duo. item.

Ab excommunicatione minori excommunicatus poteſt abſolui a proprio ſacerdote.

Ab excommunicatione, quæ lata eſt a iure, ſiue maiori, ſiue minori, poteſt abſolui a ſuo epiſcopo.

A ſententia iudicis, niſi a proprio excommunicatore, uel a ſuperiori, ſi ad eum fuerit deuoluta appellatio.

Caſus epiſcopales Benedictus Vndecimus declarauit, quod quatuor eſſent de iure, & quinque de conſuetudine approbata.

Primus erat, peccatum clerici, propter quod incurriſſet irregularitatem. Raym. ſuper uerbo, per illam, de pœniten. & remiſſ.

Secundus, de incendiariis, ſcilicet doloſis, & de mandantibus hoc fieri, ſiue in hoc dantibus conſilium, uel auxiliū 23.q.8.c.peſsimum.

Tertius, ubi eſſet pœnitentia ſolemnis indicenda, quæ imponitur pro aliquo delicto graui, publico, & uulgariſsimo. v.g. quod totam urbem commouerit, uel alium locum, uel ſi ab aliquo blaſphemia Dei, uel ſanctorum fuerit publicè perpetrata, & dicitur quis publicè blaſphemare, quando hoc facit, ſiue in platea, ſiue in camera, multis audientibus, & epiſcopo referentibus, dum tamen id confiteatur, uel ſi negauerit, conuincatur de actu ſi conſtiterit, & ſi non conuincatur, ſecus eſt 26.q.6.c.fin.

Quartus de excommunicatis, de quibus etiam aliqui pertinent ad Papā. Supp. Piſanellę, uerbo. diſpenſatio. §.6. & hi quatuor ſunt de iure.

Quinque de Conſuetudine ſunt.

Primus eſt caſus homicidii uoluntarii, & idem uidetur de muti-



mutilatione membrorum, qui debent excommunicari, nec abſolui, ſicut de incendiariis, quibus danda eſt pœnitentia, quod antequàm abſoluantur, prius damnū, cui intulerit, reſarciatur. 23.q.8.ſi quis membrorum.

Secundus eſt de falſariis.

Tertius eſt de uiolatoribus eccleſiaſticæ libertatis, ſcilicet qui iniuſtè perſonas, uel res eccleſiaſticas grauat, uel ſi quis ſecularis iuriſdictionem eccleſiaſticam impediret, uel uſurparet ſibi iuriſdictionem ſuper perſonas, uel res eccleſiaſticas, ext. de fo. comp. c. ſi diligenti.

Quartus de uiolatoribus eccleſiaſticæ immunitatis, hoc eſt qui in eccleſia, ſeu in loco ſacro, proximum in perſona, ſeu in rebus offendit, & etiam omne ſacrilegium. 17.q.4. cap. ſiquis.

Quintus eſt de ſortilegiis omnibus, & diuinatoribus. 26. q.6.cap.1.

Et circa hæc multa noua ſtatuta ſunt, ut in Clementinis. ca. dudum de ſepult.

Bonum tamen uidetur, quia omnes caſus epiſcopales bene non poſſunt particulariter ſciri, quod accipientes ab epiſcopis auctoritatem audiendi confeſsiones, faciāt ſibi ab eis declarari quos caſus ſibi reſeruāt; & quod in aliis generalem auctoritatem concedant abſoluendi.

Si quæratur, an non ſacerdos poſsit abſoluere excommunicatum, dicatur quod duplex eſt abſolutio, una pertinens ad forum cōtentioſum, altera ad forū pęnitentiale.

- Prima poteſt committi, etiam non ſacerdoti, quia potius eſt iuriſdictionis, quàm ordinis.
- Altera cum pertineat ad forum pœnitentiæ, & ad ordinem ſacerdotalem, non poteſt committi, niſi ſacerdoti.

## QVAEDAM PVLCHRA.

Confeſsio eſt, per quam morbus latens ſpe ueniæ aperitur, &c. & tripliciter fit.

Coram Deo, — in foro animæ interius,
Coram Dei Vicario; — in foro pœnitentiæ exterius,
Coram Iudice, — in foro contentioſo,

Materia ipſius confeſsionis,ſunt actus pœnitentis.

Forma eſt abſolutio uerbalis a ſacerdote dicta.

Confeſsio generalis Duplex eſt.

Altera ſacramentalis, quę fit ſecretè ſacerdoti; ualet ad criminalia,& ad uenialia.

Ex quatuor ualet.

- Primo ex Contritione confitentis.
- Secundo ex Humilitate confeſsionis.
- Tertio ex Oratione ſacerdotis.
- Quarto ex ui clauium.

Altera eſt non ſacramentalis,quæ fit coram multis, & ualet ad diminutionem uenialium, ex primis tribus, & non ex ui Clauium.

Confeſsio eſt de neceſsitate ſalutis; Non eſt de iure naturali,quia in lege ueteri, non tenebantur homines ad confeſsionem ſpecialem, ſed ad generalem per determinationem ſacrificiorum, ſed eſt de iure diuino, & de iure nouæ legis.

La Confeſsione ſenza contritione,& ſenza Carità non uale, in quanto che quella è atto di uirtù, qual è principio del meritare.

Ma in quanto che ella è parte del ſacramento, & che il confitente conoſce il ſacerdote, & la ſua iuriſdittione, & che ſi ſottomette alle chiaue,uale.& quamuis tunc nō recipiat fructum abſolutionis, tamen cum fictio incipiet recedere, tunc percipiet.

Homo in confeſsione debet ſuam conſcientiam purgare, & famam alterius cuſtodire, ſi circunſtantia, quæ ducit in cognitionem alterius perſonę,eſt de neceſsitate confeſsionis, quia trahit in aliam ſpeciem peccati mortalis debet confiteri.

Alio



Alio modo,alii dicunt quod nō, & quod ſufficit dicere peccatum, ſed credo tutiorem eſſe ſuperiorem.

Non licèt confiteri per aliam perſonam,ſiue per ſcripturā, quamuis pro ut eſt actus uirtutis ſufficeret qualitercunque fieret, ſed ſi confitens eſt mutus, uel alterius linguæ ſufficit per ſcripturam,uel per interpretem.

An requiratur confeſsio de peccatis ante Baptiſmū,dicendum,quòd triplex eſt confeſsio peccatorum.

- Prima Mentalis, quæ fit Deo, & hæc requiritur a baptizandis adultis.
- Secunda Vocalis,quæ fit homini,ut Dei Vicario,& hęc non requiritur, nec antea, nec poſt, niſi à fictè accedentibus.
- Tertia,quæ fit homini tamquàm conſiliario ſapienti, & hæc eſt de congruo.

Non ſtatim homo tenetur confiteri peccato commiſſo ex præcepto, quamuis ſit periculoſum differre. Ex præcepto enim eccleſiæ tenetur ſemel ſaltem in anno, ſed bene ratione conſcientiæ ſtatim.

Excommunicatus non poteſt abſolui a ſuo confeſſore de aliis peccatis, niſi prius ſit abſolutus ab excommunicatione,eo quia ſic excommunicatus,non eſt particeps ſacramentorum eccleſiæ.

Peccata mortalia in præſentiarum ſunt omnes tranſgreſſiones Decalogi,& quædā ab Apoſt. Paulo, ad Rom. 1. enumerantur, & quaſi omnia reducuntur ad Decalogū. Et qui talia agunt,digni ſunt morte.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Idololatria, | Vitium contra naturam, | | Iniquitas, |
| Malitia, | Fornicatio, | Auaritia, | Nequitia, |
| Inuidia, | Homicidium, | Contentio, | Dolus, |
| Malignitas, | Suſurratio, | Detractio, | Contumelia, |

Inobedientia, & quædam alia, quæ enumerantur ab ipſo Paulo ad Galat. 5. de operibus carnis.

Vnum peccatum eſt grauius altero hoc modo, ſi loquatur

O 2 de

de peccato eiuſdē generis, tunc aliud eſt grauius altero ſecūdū gradū trāſgreſsionis, ut manifeſtū eſt de Luxuria. Si autem loquatur de peccatis diuerſorum generum, unum eſt grauius altero ſecundum diuerſitatē obiectorum, ſcilicet quando eſt contra aliquid principalius, uel minus principale, Vnde homicidium, quod eſt contra ſubſtantiam hominis, eſt grauius furto, quod eſt contra res exteriores, & ſimiliter grauius eſt homicidio, quod immediatè contra Deum committitur, ut infidelitas, & Blaſphemia.

Vtrum ſacerdos parrochialis debeat credere ſubdito dicēti ſe confeſſum alteri, ut accipiat euchariſtiam. ſic Reſp. In foro iudiciali creditur homini, cōtra ſe, & non pro ſe. In foro autem pęnitentiali creditur homini, pro ſe, & cō tra ſe. Et coſi ſe l'impedimento della euchariſtia, e tale che appartenga al foro iudiciale. v. g. la eſcommunicatione, Tunc ſacerdos non tenetur credere ſubdito, niſi ei de abſolutione conſtet, etiam ſi diceret, quod confeſſus eſſet ſuperiori, & intelligitur de peccatis manifeſtis excommunicati.

Si autem ſit impedimentum, quod ad forum pœnitentiæ pertineat, ſcilicet peccatum, tenetur credere, & iniuſtè agit, ſi denegat euchariſtiam.

Sacerdos curam animarum tenēs, in notoriis habet poteſtatem excommunicandi, præmiſſa admonitione.

Sed non ſacerdotes poſſunt excommunicare, & abſolue re, quo ad forum contentioſum, ſed quo ad forum pœni tentiale, ſolus ſacerdos.

Excommunicari maiori excommunicatione, ſiue occulti, ſiue manifeſti, non debent intrare eccleſiam, idem dico de interdicto, & ſuſpenſo ab ingreſſu eccleſiæ.

Effectus maioris excommunicationis eſt, ut nullus participet cum tali, neque loquendo, nec orando. Minoris autem effectus ſeparat a perceptione ſacramētorum, idem facit



facit in terdictum, & ſuſpenſio.

Irregularitas, eſt impedimentum quoddam ex defectu ſacramenti, uel canonica inſtitutione proueniens, idem interdictum, & ſuſpenſio.

Peccatum mortale eſt, quod tollit ſpiritualem uitam animæ, quæ eſt per charitatem. vnde illud eſt peccatū ex ſuo genere mortale, quod ſecundum propriam rationē contrariatur charitati, hoc eſt; tunc peccata ſunt mortalia quādo ſuā perfectionē conſequūtur in cōſenſu rationis.

Et ſi inchoatio peccati in ſola ſenſualitate ſit, & nō pertingat uſque ad conſenſum rationis, propter imperfectionē actus, eſt peccatum ueniale. Sicut in genere adulterii cōcupiſcentia, quæ cōſiſtit in ſola ſenſualitate. Si tamē peruenitur ad conſenſum rationis, eſt mortale.

Et ſi ſit peccatum tentū, & in anima conceptum delectatione cogitationis, ueniale eſt, & cum tantum eſt in ſenſuali motu, leuiſsimum eſt, & non damnabile, quia ratio tunc nō delectatur. Si uerò diu in delectatione cogitationis tenetur, quàmquàm uoluntas perficiendi deſit, ſit mortale, & pro eo damnabile.

Iterare confeſsionem tenemur in quatuor caſibus.

- Primus, ſi ſacerdos non poterat abſoluere, quia non habebat iuriſdictionem.
- Secundus ſi neſciuit diſcernere.
- Tertius, ut ſi confeſsio non fuit integra, eo quia ſcienter tacuit aliquod mortale.
- Quartus ſi cōtempſit, uel neglexit ſatisfacere, & oblitus eſt ſatisfactionem iniunctam.

Proprio ſacerdoti neceſſarium eſt confiteri, cum ſacerdos non abſoluat, niſi ligando ad aliquid faciendum, ille ſolus poteſt abſoluere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum ligare, ideo oportet proprio ſacerdoti confiteri. Qui proprius ſacerdos poteſt ſuum ſubditū ubiq; audire, quia pęnitentia eſt de iuriſdict. uoluntaria.

Tria

Tria debent eſſe in confeſsione.

Scientia diſcernendi inter lepram, uel peccatum.
Inquiſitio de eis cauta, & diſcreta.
Pœnitentiæ iniunctio.

Octo ſunt Caſus, in quibus poteſt quis audire parrochialem alienum.

Primo, quando ſacerdos eſt indiſcretus.
Secundo, quando Parochianus tranſtulit domiciliũ ſuũ.
Tertio, quando quis eſt uagabundus.
Quarto, quando quis querit domiciliũ quo ſe transferat.
Quinto, quando quis deliquit in aliena Parochia.
Sexto, ratione ſtudii.
Septimo, tempore neceſsitatis.
Octauo, ſi ponat ſpem in ipſamet ſola confeſsione.

Si confeſſori uidebitur, quod cõfeſſus non faciat pœnitentiam, aut aliquod aliud, quod promittit, non debet exigere iuramentum, nec uotum, nec promiſsionem de faciendo, ſed ſufficit, quod dicat ſe habere propoſitum faciendi, & ſic debet abſoluere ſimpliciter, proteſtando ei quod ſi non reſtituet, quod abſtulit, aut faciet, quod ſibi iniungitur, fructu confeſsionis carebit, ſed in hoc excipiuntur ſex.

Primo excipiuntur illi incendiarii, qui iniuſtè proximum offendunt incendendo, & in hoc faciendo dantibus cõſilium, & auxilium.

Secundo excipiuntur excommunicati, qui iurant, & non ſolum iurant, ſed ſatisfacere debent antequàm abſoluantur, quando ſunt excommunicati pro aliqua manifeſta offenſa.

Tertio excipiuntur, qui mutilant, & qui mutilari faciunt, ſeu conſentiunt, quia debent prius ſatisfacere.

Quarto excipiuntur manifeſti raptores, & eccleſiæ uiolatores, nec abſolui debent, nec ad pęnitentiã recipi in uita, uel in morte, niſi prius iuxta eorum facultates ſatisfecerint,



rint, uel de ſatisfaciendo idoneam cautionem dederint.

Et nota, quod qui in ſanitate obſtinata mente nõ pœnituerint, uel emendauerint, & in morte ſecuritatem præſtare nequiuerint, pęnitentiæ beneficiũ ei penitus denegetur. Sed pro peccato contrito uiaticum corpus nõ negetur, ſed nullus clericorum ſepulturæ illius interſit, nec eius eleemoſinam præſumat accipere, & ſi aliter fecerit, eccleſiaſtico careat beneficio. Et hoc intelligitur dummodo raptor, uel uiolator eccleſiæ fuerit monitus, & poſt admonitionem diu in contumacia perſeuerauerit.

Quinto excipiũtur manifeſti uſurarii, qui nec abſolui, nec ad confeſsionem admitti debẽt, niſi prius ſatisfecerint, uel de ſatisfaciendo idoneam cautionem præſtiterint.

Sexto excipiuntur ſacrilegi, qui aliquid de loco ſacro abſtulerint, ſeu qui iniuriam fecerint perſonis eccleſiaſticis, qui non ſunt abſoluendi, niſi prius ſatisfecerint.

## EX CANONIBVS SVMPTA.

In 18. diſt. c. Presbyter ſi fornicationẽ dicitur. quod ſi Presbyter fecerit fornicationem, in loco remotus, & incluſus indutus ſacco humi proſtratus miſericordiã Dei implorans per tres mẽſes continuo, in pane, & aqua uiuat, & decem annos poſtea pęniteat.

In 30. q. 1. c. non debet, probatur quod ſi Presb. eam, quam baptizauit, uel cõfirmauit, cognoſcat, & etiam ſi ſibi cõfeſſa fuit, pęniteat duodecim annis, & deponatur, ſi tamẽ crimen ſit manifeſtum. Mulier uerò omnia relinquat, & in monaſterio intruſa ſemper Deo ſeruiat.

In 30. q. 3. ca. non oportet, habetur, quod quicunque filiam ſuam ſpiritualem, ſiue eius matrem cognouerit, ſeptem annis pęniteat.

Extra de ſponſ. duo. accepiſti. uidetur ꝙ qui contrahit cum aliqua alii deſponſata, ſeptem annis pęniteat, & quadraginta diebus ieiunet in pane, & aqua.

Qui coierit cum Brutis 7. ann. pœniteat. 32. q. 2. hoc ipſum.

Extra

Extra de exceſſ.prælat.c.clerici dicitur,quod qui contra naturam peccauerit, ſi clericus deponatur, & ad perpetuã pęnitẽtiã tradatur. Si ſit laicus,fiat alienus a cętu fideliũ.

In 34.q.ſi quis cum duabus,probatur quod qui cognouerit duas commatres,uel ſorores,uel matrẽ,& filiam,uel amitam,& neptem ignoranter,ſeptẽ annis pęniteat.Si ſcienter,perpetuò priuetur coniugio.

Qui ducit in uxorem eam ,quam polluit per adulteriũ,quinque annis pęniteat.31.q.1. ſi qua vidua.

Qui monialem cognouerit,decem annis pęniteat. 27.q.1.

Homicida uoluntarius ſeptem annis pęnit. diſtinct.50. cap.miror.
Homicida caſualis quinque annis, pœn. diſt.50. c.eos.
Homicida neceſsitate compulſus 2. annis pęnit. diſt.50. c.de his clericis.
Matricida pęnit.decem annis.
Vxoricida grauiori pœna puniendus.30.q.3.latorem.

Presbyter,qui intereſt clandeſtinis nuptiis,triennio ſuſpendatur.ext.de cland.deſp.cum inhibitio.

In 27.diſt..ſi quis, habemus,qui uotum ſimplex uiolauerit, tribus annis pęniteat.

In x1.q.3.de his,ſi excõmunicatus celebrauerit,debet triennio pęnitere,& feria 2.4.6.a uino, & a carnib. abſtinere.

Extra de pœn.& rem.c.2. qui presbyterum interfecit,pęniteat duodecim annis .

Qui periurus,quadraginta diebus in pane, & aqua ieiunet, & ſeptem annis pęniteat.6.q.1.quicunque.

In 22.q.5.ſi quis cõuictus,probatur,quod qui falſum ſcienter iurat,uel alium iurare cogit,diebus quadraginta ieiunet in pane,& aqua , & ſeptem annis pęniteat.

Extra de contra.empt.ut qui menſurat in falſa menſura 30. diebus in pane,& aqua ieiunet.

De cõſ.diſt.1.nemo. habemus, Presbyterum, qui mortuum clericum inuoluit in palla altaris,decem annis, & menſibus.



ſibus.Quinque pænitere debere.

Ext.de accuſat. c.accuſaſti, cernitur eũ qui iniuſtè alium ad mortẽ accuſat,quadraginta diebus in pane, & aqua per ſeptem annos ieiunare,& penitere,ſi autem tantũ membrum perdiderit,triennio pęnitere.

ui iurat in manu epiſcopi, uel in cruce conſecrata,tribus annis pęniteat.22.q.5.c.2.

In 33.q.2.de his,probatur,quod qui frangunt pęnitentiam ſolemnem, ſiue redeundo ad crimina, quæ ſibi fuerant interdicta, decem annis peniteant.

Qui committunt ſacrilegiũ, eccleſiam uiolando, uel chriſma,ſiue calicem ſacrum pollutis manibus accipit, uel ſimilia,ſeptem annis pęn.

Viſitur 31.q.3.c.ſi parentes,quod ſi parentes frangunt ſponſalia filiorum,à communione triennio ſeparentur.

Qui blaſphemauerit publicè Deum,uel aliquem ſanctorũ, uel beatam virg.in 2.q.3.ſi quis iratus,uiſitur.& ſunt pœnæ grauiſsimæ.

De pœnit.diſt.6.c.ſacerdos,dicitur,quod ſi presbyter reuelat confeſsionem,de iure antiquo debet deponi, & omnibus diebus uitæ ſuæ ignominioſus peregrinari.

Sortilegus quadraginta diebus pœniteat. extra de ſortilegiis.c.reliquiſti.

Habetur de conſ.diſt.2.& ſi per negligentiam,quod ſi ſtilla ſanguinis altaris cadentis ſuper terram,per negligẽtiam presbyteri hoc erit,40.diebus pęniteat.

De conſ.d.2.per ebrietatem,uiſitur,ſi aliquis per ebrietatẽ, uel uoracitatem euomerit euchariſtiam, ſi laicus pœniteat 40. diebus, ſi clericus 70.

Si mus corroderit, uel comederit corpus Chriſti,multa eſt pœnitentia illius negligentis,ut uiſitur de conſ.diſtin.2. circa finem.

Ext. de iniur. ſi quis donum. Qui domum, uel arcam, uel aliud ſuccendit, ſublata, uel incenſa omnia reſtituat,

& tribus annis pęniteat.

Qui dederit, uel acceperit communionē ab hæretico ignoranter, uno anno pęniteat: ſi autem ſcienter, decē annis. 24.q.1.ſi quis dederit.

In 16.q.7.c.filius, probatur, quod ſi Patronus res eccleſię dilapidat, pęniteat uno anno.

Probatur 16.q.5.qui diuinatores, quod qui domum ſuam magicis artibus luſtrat, uel aliud facit, & qui conſulit, annis quinque pęniteat.

Qui periurant, adulterant, occidunt, pro pœnitentia regulariter ſeptē annis pęniteat, & ſimiliter ſi fornicatur. 22. q.1.prædicandum.

De conſ.d.4.qui bis, habetur, quod qui ſcienter rebaptizatur, ſeptē annis pęniteat, feria 4.& ſexta, in pane, & aqua ieiunando tribus quadrageſimis faciat.

INDAGATOR ſtudioſus inſpiciendo dictas regulas poterit procedere ad pœnitentias pro diuerſis criminibus imponendas, & ex cauſa conſideratis circunſtantiis, prout eius ingenii, & diſcretionis erit eas moderari.

Quæ quidem pœnæ, & ſi hic non plene habeantur, quæ breuitatis cauſa prætermiſſæ ſunt, quia niſi ut in memoriam reducantur fuere poſitæ, uideātur prolixè in canonibus quibuſcūque præallegatis, quia ibi aperiuntur, & in ſummis diuerſis quoque, & præcipuè ex ea Fratris Aſtenſis ordinis minorum.lib.5.tit.32.

Et ſic, ut iam uiſitur, pro uno quoque peccato mortali ſeptenis pœnitentia imponenda eſt, nō tantum propter temporis diuturnitatem, ſed magis propter ſignificationē; quia Canones inſtruunt in generali, quomodo pęnitentia ſit imponenda, ſed deſcenſum ad ſingularia diſcretis presbyteris relinquunt, qui conſiderant circunſtantias.

Huiuſmodi autem pœnitentia non eſt omnibus imponenda, nec tamen eſt infirmanda, ſed eſt inſinuanda, ut cognoſcatur quàm grauis ſit culpa.

Quili-



Quilibet tenetur ad baptiſmum per tres rationes.

- Primo, propter acquirēdum characterem, quo annumerantur in populo Dei, & quaſi deputantur ad ſacramenta diuina percipienda.
- Secundo, ut per Baptiſmum paſſioni Chriſti corporaliter conformentur.
- Tertio, propter bonum obedientiæ, quia præceptum de Baptiſmo omnibus datum eſt.

Qui ſimulat ſe uelle conferre, uel ſuſcipere Baptiſmum, & non intelligit, effectum eius impedit, & ille non ſuſcipit rem ſacramenti, ideſt gratiā, ſed characterem ſuſcipit, & cum fictio incipit recedere, conualeſcere etiā incipit.

Si ſacerdos baptizando diceret, in nominibus Patris, & Filii, &c. non eſſet Baptiſmus.

Si diceret baptizando, in nomine genitoris, & geniti, ſiue potentis, ſapientis, & benigni, non eſſet Baptiſmus, quia non debent apponi appropriata tribus perſonis, ſed expreſſa nomina perſonarum.

Si ſacerdos baptizando uiolaret formam, additione, omiſſione, commutatione, & tranſgreſsione, peccaret mortaliter, & ſi induceret errorem, uel hæreſim, non teneret Baptiſmus.

Sed ſi non fieret ex propoſito malæ intentionis, & omitteretur aliqua ſyllaba, uel adderetur aliquid ex deuotione, putà & beatæ Mariæ Virginis, & non fieret tranſpoſitio magna, & diſcontinuatio magna, teneret baptiſmus, dummodo non intēderet nouū ritum introducere, quia tunc nō teneret. Talis additio ergo ſi fieret ex ſimplicitate, aut ex deuotione, dūmodo non credat hoc eſſe de forma, & baptizare intendat ſecundū intentionem ſanctę eccleſiæ, erit Baptiſmus, aut dummodo talis additio non diſtrahat intellectum formæ, ſeu corrumpat, ut ſi diceretur in nomine Patris maioris, & Filii minoris, &c. Non enim tunc ualeret: immò induceretur hæreſis.

P 2 Aqua

Aqua in linteo, uel lana, niſi extrahatur, nec glacies, uel nix, uel grando niſi diſſoluatur, non eſt materia debita Baptiſmi.

Adultus baptizandus non poteſt conſtituere procuratorē, ut per eum reſpondet ſicut paruulus.

Nullus exiſtens in utero poteſt baptizari.

Nullus non habens manus, nec mutus poteſt baptizare.

Si ſacerdos, uel alius credēs baptizare maſculum, baptizat fœminam, ſi ſimpliciter baptizat, aut intendit baptizare perſonam cuiuſcunque ſexus ſit, eſt baptizata, ſed ſi ſolū intendit baptizare maſculum, non eſt baptizata.

Cum ex utero matris apparebit aliqua pars extra, ut puta caput infantis, debet baptizari, & nō eſt rebaptizandus.

Sed ſi alia pars, quàm caput, quamuis ſint diuerſæ opiniones, tamen debet baptizari, quia tutius eſt, quia non etiam eſt arctanda miſericordia Dei, & etiam propter occultam operationem Spiritus ſancti, ſed poſtea cum conditione eſt rebaptizandus.

Per Baptiſmum tollitur omnis pęna, illa tamen, quæ retardat, & excludit a uita æterna, hoc eſt pęna, quā quis deberet exoluere, aut in hac uita, aut in alia pro peccatis commiſsis, antequàm uitam æternam intrarent, aliàs autem non.

Concupiſcentia, in quantum habet rationem culpæ extinguitur per Baptiſmum, ſed in quantum habet rationem uitii, ſiue pęnę, non tollitur niſi ſpeciali dono Dei, & miraculo, ſed ut non obſit, fit ex infuſione gratiæ.

Irregularitas ſi prouenit ex defectu ſacramenti, non tollitur, unde Bigamus ante baptiſmum, uel poſt, non poteſt promoueri.

Et ſic corrupta, ſiue ante, ſiue poſt non poteſt uellari, & ſic non tollitur.

Si uerò prouenit ex peccato, tollitur, putà irregularitas homicidiorum.





Si puer moreretur, quando Baptizans dicit ego te baptizo in nomine Patris, antequā cōpleat, credendum eſt, quod Deus ſuppleat. ſi ſacerdos moreretur antequàm compleret, eſſet rebaptizandus in conditione.

Miſſa mali ſacerdotis, quo ad ſacramentum equalis eſt illi boni ſacerdotis, quo etiā ad orationes in ipſa in quantū proferuntur ex perſona totius eccleſię, ſimiliter tantū ualet. Sed in quantū habent efficatiam ex deuotione urētis plus valet boni quā mali. Et ideo debet quis, & bene facit qui libentius audit miſsā boni quā mali, dūmodo nō credat excedere in ſubſtantialibus quia erraret periculosè.

Homo dicitur peccare tribus modis, { in Deum / in ſe / in proximum. }

In Deum peccat, cnm de Deo male ſentit, ut hæreticus, uel quę Dei ſunt uſurpat, indigne ſacramentis participando, uel quando nomen eius contemptibile facit.

In proximum peccat, cum proximum iniuſtæ lædit.

In ſe peccat, cum ſibi, & non alii nocet.

Peccata quoq; præterea ſunt quędam, quæ alia dicuntur,

{ Aliena alia / Clamantia in cœlum alia / In ſpiritum ſanctum. }

ALIENA ſunt, quorum aliquando homo fit particeps, etiam ſi facti Patrator uon exiſtat.

De his peccatis Alienis præcipitur nobis 1. Timoth. 5. ubi dicit.

Ne communicaueris peccatis Alienis.

Quę peccata Aliena fiunt nouem modis.

Primo Conſilio, ut Caiphas. Ioan. 11.

Secundo Iuſſione, ſicut Dauid innocentem occidit Vriā 2. Regum 11.

Tertio Conſenſu, ita peccauit Saulus in Stefani Prothomart. necem conſentiens. Act. 7.

Quarto Irritatione, ut uxor Iob pacientiſsimo uiro petulanter inſultans, quantum in ſe quidem erat, ſuaſit etiam Deum blaſphemare Iob.2.

Quinto Adulatione, ſiue Laudatione, ut Eccleſiaſtici male uulgo blandientes, dum eius licentiæ palam fauent, & applaudunt.

Sexto Retinentia culpæ alienæ, uult enim Deus Euangelizantes, clamare, & annunciare populo ſuo ſcelera eorum Iſai.58.

Septimo Silentio ſiue indulgentia; ita peccant magiſtratus, cum gladium fruſtra portant, ut Saul dum parceret Amalechitis.1.Reg.15.

Octauo Participatione criminis; ſic Iſaias obiicit populo Iudaico: Principes tui infideles, ſocii furum Iſa.1. cap.

Nono Praua defenſione. aduerſus hoc peccatum, diuinum intonat oraculum. Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Iſaias.5.

Quibus modis, culpam malefacti quod ab alio committitur, in nos transferrimus, iuxta illud Apoſt. non ſolum digni ſunt morte, qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, propter quod & appellãtur peccata aliena.

CLAMANTIA in cœlum quatuor ex ſcriptura numerantur.

- Homicidium uoluntarium.
- Peccatum ſodomiticum.
- Oppreſsio pauperum.
- Merces operariorum defraudata.

de quorum attrocitate, & pœnis agitur in locis multis.

Primum enim eſt Homicid. uolunt. eius, qui natura frater eſt, & tamquàm frater tractari debuerat, de quo dicit Dominus. Cain quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, in Geneſeos.3.4.9.Pſal.54.

Secundum, eſt Sodomitticum illud peccatum, de quo rurſum dicit Dominus. Deſcendam, & uidebo, num clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint. Gen.13.18. & 19. Exech.16.



Tertium, eſt Oppreſsio pauperum, de quo & illud, vociferabuntur ad me, & exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus. Exod.3.7.14.20.Iſai. .2.10.

Quartum Merces operariorum detenta, ſiue defraudata, de quo D.Iacobus. Ecce (inquit) merces operariorum, quæ fraudata eſt a uobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Iac.5.Eccl.34.Deut.24

IN SPIRITVM SANCTVM, quibus gratia diuinitus oblata contemptim abiicitur, eiuſmodi ſex recenſentur.

- Primum, eſt Præſumptio impunitatis, hoc eſt de miſericordia Dei, uel diuina miſericordia confidenter abuti.
- Secundum, Deſperatio impetrandæ ueniæ, hoc eſt de Gratia Dei, uel ſalute ſua prorſus deſperare.
- Tertium, eſt Impugnatio Agnitæ ueritatis, hoc eſt ueritatem religionis aduerſus ſuam ipſius conſcientiam hoſtiliter oppugnare.
- Quartum, Inuidentia fraternæ caritatis, ſiue gratiæ, hoc eſt pertinaci inuidia concitari grauiter ob alienæ ſalutis, & uirtutum fraternarum ſucceſſum.
- Quintum, Obſtinatio, hoc eſt obfirmato animo in crimine ſcienter perſiſtere.
- Sextum, Impenitentia, hoc eſt abſq; pęnitentię propoſito peruerſæ uitæ finem nullum facere.

- In primo peccauerunt, Alexander, & Hymeneus.
- In ſecundo peccauerunt, Cain, & Iudas.
- In Tertio peccauerunt iudei aſcribentes miracula Chriſti Beelzebub Demoniorum principi per meram malitiam, contra agnitam ueritatem. Peccant ſimiliter in tertio peccato, hæretici, qui uel uentris, uel gloriæ cauſa docent contra ueritatem ſibi agnitam.
- In Quarto, peccauit Saul in Dauidem, Iudei quoq; in Chriſtum,

Chriſtum, ipſo dicente, & uiderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.

In Quinto peccauit impiiſsimus Pharao, cuius obduratū cor nec monitis Dei, nec mandatis, nec ſignis, nec minis emolliri potuit.

In Sexto peccant omnes, qui ne mortem quidem imminente pœnitere uolunt, aut alioqui ipſi ſibi uitam adimnnt.

Pro quibus peccatis haud quaquam orandum eſt poſt mortem dicente Ioanne. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico ut reget quis.

Numerus horum ſex peccatorum ſic accipitur in eis, nāq;

Primo eſt REMISSIO.
Secundo eſt REMITTENS.
Tertio eſt DISPOSITIO remittendi.

In REMISSIONE poſtea Tria quoq; ſunt.

Ipse Remittens.
Ille Cvi Remittitvr.
Dispositio Remittendi in eo, cui dimittitur.

IN IPSO REMITTENTE duo ſunt.

Miſericordia &
Iuſtitia.

Contra Primum, quod eſt Miſericordia, eſt Deſperatio.
Contra Secundum, quod eſt Iuſtitia, eſt Præſumptio.

IN EO CVI REMITTITVR, duo etiam ſunt.

Dolor de comiſſo, &
Propoſitum de non comittendo.

Contra Primum, quod eſt Dolor de comiſſo, eſt Obſtinatio.
Contra Secundum, quod eſt Propoſitum de non comitdo, eſt Finalis impęnitentia.

IN DISPOSITIONE Remittendi in eo cui dimittitur, Item duo ſunt.

Cognitio ueri, &
Amor boni.

Con-



Contra primum, quod eſt cognitio ueri, eſt Impugnatio Agnitæ ueritatis.
Contra ſecundum, quod eſt Amor boni, eſt Inuidentia fraternæ gratiæ.

Iſtæ enim ſunt ſpecies ſex peccati in Spiritum ſanctum.

Sunt ergo iſta peccata ad mortem, ut Ioan. in prima ſua canonica quinto, inquit, ut iam dixi, Non pro eo dico, ut quis oret. De quibus etiam in euangelio. Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro.

Qui enim peccat in patrem, & in filium, remittetur ei, ſed qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, neque hic, neque in futuro remittetur.

Quod peccatum in Spiritum ſanctū, ſic ab Auguſtino definitur, in lib. 1. de ſermone domini in monte, non longè a fine in 4. Tomo.

Peccatum ad mortem eſt, cum poſt agnitionem Dei, per gratiam Chriſti oppugnat aliquis fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam, qua reconciliatus eſt Deo, inuidiæ facibus agitatur, quod fortaſſe eſt peccare in Spiritū ſanctum, quod dicitur non remitti.

Peccant enim in Spiritum ſanctum, qui ſua malitia Dei bonitatem ſuperare putant, & ideo pęnitentiam non aſſumunt. Et qui iniquitati, tam pertinaci mente inhærent, ut eam nunquam relinquere proponant, & ad bonitatē Spiritus ſancti nunquàm redire, pacientia Dei abutentes, & de miſericordia Dei nimis præſumentes.

Vnde hoc peccatum dicitur eſſe deſperationis, & obſtinationis.

Obſtinatio enim eſt induratæ mētis in malitia pertinacia, per quam homo fit impęnitens.

Deſperatio eſt, qua quis diffidit pęnitus de bonitate Dei, æſtimans ſuam malitiam diuinæ bonitatis magnitudinem excedere. Eſt igitur peccatum in ſpiritum ſanctum,

Q

ctum,uel ad mortem.

Sed intelligendum eſt de his,qui in ſpiritum ſanctum peccant,ſcilicet de his,qui in hac ſcelerata mentis peruerſitate finierint hanc uitam, quoniam de quocunq; peſſimo in hac uita conſtituto non eſt deſperandum.

Ideo pro omni eſt orandum, tunc enim ſolum illud debet dici peccatum ad mortem,& in ſpiritum ſanctum, cum non habet comitem pœnitentiam.

Vnde illud Ioannis ut ſupra, nõ pro eo dico ut roget quis, ſic eſt accipiendum. Vt pro alioqui peccante ad mortẽ, uel in ſpiritum ſanctum poſtquàm finierit hanc uitam non oremus. Dum autem in hac uita eſt, nec peccatum illius iudicare, nec de illo deſperare, ſed pro illo orare debemus.

- Peccatum in patrem intelligitur, quod fit per infirmitatem,quia patri ſcriptura frequẽter attribuit potentiã.
- Peccatum in filium, quod fit per ignorantiã, quia ſapientia filio attribuitur.
- Peccatum in ſpiritum ſanctum, cum aliquis ſancti ſpiritus diguitatem, maieſtatem, & poteſtatem abnegat ſempiternam,& putat non in ſpiritu dei eiici demonia,ſed in belzebub.

Nam qui poſt cognitionem ueritatis ſancti ſpritus, ueritatem negat, eiuſq; opera dicit eſſe Beelzebub, poteſtati, bonitati, & gratiæ Dei inuidere non dubitatur.

## EX RESTITVTIONIBVS.

Quilibet tenetur ſtatim reſtituere cum poteſt. Et quotiens quis inuadit rem alienam, totiens peccat mortaliter, & etiam cum ſcit ſe debere reſtituere, aut ſatisfacere proximo,& poteſt,& non uult.

Nec poteſt abſolui, niſi prius reſtituat potens reſtituere, niſi in caſu,quod doleret, quod non reſtituit quamprimum potuit, & proponit, quam primum potuerit,ſatiſfacere.





Vel ſi non poteſt reſtituere, tenetur petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere. Et illa petitio dilationis, facienda eſt per ſe, uel per alium, quando debitor eſt impotens ad ſoluendum, & hoc niſi ex ipſa petitione ſequeretur reuelatio peccati, ſeu aliud ſcandalum.

DEBITOR aut eſt potens reſtituere, aut non.

- Si eſt potens, tenetur ſtatim reſtituere.
- Si non eſt potens reſtituere, tunc uidendũ, quia, aut eſt,
  - Impotens omnino, aut
  - non omnino.

- Si Omnino eſt impotens,excuſatur, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio.ff.de reg.iu.l. impoſſibilium, & in hoc caſu ſufficit, quod proponat reſtituere cum poterit
- Si Non omnino eſt impotens, tunc tenetur ſtatim reſtituere id,quod poteſt.

Conſtitutus in articulo neceſſitatis non tenetur reſtituere, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia.

Vnde ſi retinens rem alienam, eſt in extrema neceſſitate, & ille,cuius eſt res, non, Sed habet aliquid citra neceſſitatem extremam, dicimus,quod illa res eſt detinentis iure Poli,

Quo in extremæ neceſſitatis articulo ad prouidendum neceſſitati naturæ uia omnibus extrema neceſſitate detentis eſt conceſſa.

Si autem ambo, detinens ſcilicet rem alienam, & dominus eiuſdem rei, eodem tempore deueniant in extrema neceſſitate, illa res domino eſt reſtituenda, quia duobus concurrentibus præualet,quod eſt potius.

Si ambo,dominus,& detinens ſunt in extrema neceſſitate, ſi prius Dominus deuenit ad eam, debet reddi domino duplici iure, tum quia prius ſuum, tum quia iam ex iſta ſua neceſſitate factum eſt ſuum.

Si uerò prius deuenit detinens,factum eſt ſuum,& tunc domino poſtea deuenienti ad iſtam neceſsitatem, non debet reddi, quia ceſſauit dominium eius in re iſta, & factum eſt alterius.

Item ſi talis detentor eam rem non occupauit ante talem neceſsitatem,licèt ueniat ad pinguiorem fortunam non tenetur reſtituere. Sed ſi præoccupauit ante talem neceſsitatem,tenetur reſtituere cum peruenerit ad meliorem fortunam.

Quando autem debitor non eſt in articulo neceſsitatis extremæ, tunc reſtitutio aut eſt

Certa, aut
incerta,

Si incerta,& nõ inuenitur creditor, uel hæres eius, tunc reſtitutio facienda eſt pauperibus,& de manu epiſcopi,ad quem pertinet prouiſio pauperum.

Si autem eſt certa, debet fieri creditori.

Tunc autem etiam ſi debitor, qui non eſt in tanta neceſsitate extrema, ſed tamen poteſt reſtituere ſine magno ſuo damno temporali, puta deſtructione artis, ex qua uiuit ipſe, & eius familia, & creditur ſit abundans, & in magna facultate; debitor non tenetur ad reſtitutionem, immo hoc caſu ipſe creditor teneretur retro reddere.

Vnde patet,quod magna neceſsitas,etiam ſi non ſit extrema,excuſat a reſtitutione.

Conſideratis etenim omnibus ſupradictis, qui in eis inciderit,& ab ſe abradicare uoluerit,pęnitere incipiat, cõteri, atque confiteri.

Et qui integrè confiteri uoluerit, intra ſecretum mentis cubiculum (ut ſe ipſum ualeat cognoſcere) paululum requieſcat.

In primiſque Deum præcetur, ut eius mentem illuminet ad cognoſcendum omnia peccata ſua.

Quo-



Quoniam, ut in mentem ueniat,quinque ſunt conſideranda,& diligenter examinanda, & ſunt

Tempus,
Inclinatio,
Status,
Societas,
Species peccatorum.

Tempus. Primo meditandam eſt,a quo tempore de peccatis facta non ſit confeſsio, & ſi tunc fuerit integra. An pœnitentiam a ſacerdote tunc temporis iniunctã adimpleuerit, diſquirat, & examinet poſt nouiſsimam confeſsionem, quæ tempora interfluxerunt, & quæ iis temporibus, aut publicè aut priuatim fieri ſoleant, ut delicta illis temporibus patrata in memoriam poſsit renouare.

Inclinatio. Secũdo conſideret,ad quæ peccata ſit procliuis, & quoties in die, aut hebdomada in eo peccato potuit peccaſſe. Alios enim in hoc, alios in illud peccatum natura genuit procliues,& nemo eſt,niſi mentis inops, qui facilè nõ agnoſcat, inditos ſibi natura ſtimulos, ad aliud atque aliud peccatum.

Status. Tertio conſideret cuius ſit conditionis,& ſtatus, an Scolaſticus, an Præceptor, an Famulus, an Dominus. Deinde ſemel atque iterum diſcutiat, quę ſui ſunt officii & in quibus eiuſdem conditionis homines peccare ſolent.

Societas. Quarto conſideret quibuſcum domi,& in quotidiana conſuetudine ſit uerſatus, & quibuſcum extra domum in conuerſatione extraordinaria.

Species peccatorum. Quinto conſideret in quo peccauerit, quod ut commodè fiat, per decem præcepta diſcurrat, per peccata capitalia, per quinque ſenſus, & alia.

Cõſideretque,an cogitatione,an locutione,an opere,an omiſsione,an ſceleris participatione peccauerit, an alteri

quo-

quocunque modo fuerit cauſa peccandi.

Oſtendit poſtea ſe ſacerdoti, a quo fiendæ erunt poſtea interrogationes, in ipſa confeſſione particulariter de articulis fidei, de ſacramentis eccleſię, de præceptis Decalogi, de operibus charitatis, & multis aliis, & circunſtantiis, ad numerum illorum peccatorum, & ſpeciem pertinentibus, ſcilicet,

Quis ipſe fuerit cum peccauit, cuius conditionis, & ſtatus, an ex eo peccato alteri fuerit ſcandalo, & offendiculo.

Quid fecerit, an periurium, an mēdacium, & an locutione, an conſenſu, an uoluntate, an opere, an omiſſione peccauerit, quid damni peccatum attulerit.

Vbi peccauerit, an in loco ſacro, an in publico.

Per quos, uel cum quibus hominibus, & cuius conditionis, & ſtatus.

Quoties, an ſemel tantum, an ſæpius. quod ſi peccatorum numerus eum lateat, conſiderare debet, quoties plus, minusve peccaſſe potuerit, præterea quàmdiu in peccato permanſerit, aut perſeuerauerit.

Cur, an ex timore, an ex coactione, an ex craſſa, & ſupina ignorantia, an ex pura malitia.

Quomodo, & quàm enormiter peccauerit, an hoc an illo modo.

Quando peccauerit, an die feſto, & quando debeat eſſe pura conſcientia, & omni culpa uacante, an die profecto.

Quibus octo circunſtantiis, diu multumque animo agitatis, tum demum ad aliorum peccatorum diſquiſitionem pergat.

Eligat ergo quiſque ſibi confeſſarium inter eos, qui eū abſoluere poſſunt, optimum, & criminis, de quo uult confiteri, non conſcium, diſcretum, & qui peccatis poſſit adhibere remediū. D. Auguſtinus. Qui omnino confitetur, ſacerdoti meliori quàm poteſt, confiteatur.

Quod ſi pęnitens non poſſit confiteri corā ſacerdote, quem deſi-



deſiderat, nec tempus, nec locus offerat, tanta uis confeſſionis eſt, ut ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo.

Quarum circunſtantiarum peccati, quædam ſunt alleuiantes. Quædam in aliud genere trahentes, quædam in aliquo modo aggrauantes.

- De Alleuiantibus non eſt bonum confiteri.
- De Aggrauantibus, quæ genus peccati non uariant, eſt doctorum diuerſa opinio.
- Solum ergo de neceſsitate confeſsionis ſunt circunſtantiæ trahentes in aliā ſpeciē, ſeu genus peccati, & hoc cōmuniter tenent doctores. Et ſunt iſtę circunſtantię.

| | |
|---|---|
| Conditio Rei, | Numerus, |
| Modus peccandi, | Qualitas, |
| Locus, | Inductio, & |
| Tempus, | Accidens. |

Excommunicatus maiori excommunicatione debet prius abſolui ab eo, penès quem eſt abſoluere quàm poſſit a Curione ſuo de aliis peccatis abſolui.

Sed de reſeruatis, quæ excommunicationi nō ſubiacēt, poteſt a Curione (cui de omnibus peccatis confiteatur) abſolui, ea tamen lege, ut poſtea ſuper reſeruatis adeat epiſcopum, aut eius uicarium, cui ſi prius de reſeruato tātum confiteatur, poſtea tamen Curioni ſuo de omnibus peccatis ſuis confitens plenam de omnibus peccatis, & reſeruatis, & non reſeruatis petat abſolutionem.

In reliquis quomodo ſe habere debeat confeſſarius, & in quibus interrogationibus uerſandus accuratiſsimè uidere eſt ſuper conſtitutionibus Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Cardinalis Antiſtitis noſtri Federici Cornelii in dioceſana ſua ſynodo perlectis, atque editis, & promulgatis.

Et ſic faciendo unuſquiſque pęnitens, & cōfitens Tria illa, quæ unumquemque maximè a peccato abſtrahere, & poſſunt, & debent, perſcrutabitur.

Quæ

Quæ ſunt uidelicet { MORS, IVDICIVM, INFERNVS,

MORS, qua nihil eſt miſerabilius,& dicitur ab emerita iam uita, hoc eſt acta, & abſoluta: Vnde etiam mortui quaſi emeriti appellantur,& diffinitur ab Auguſtino,priuatio uitæ,nomen tantum habens,non eſſentiam: idem contra Pelagianos.

Mors item eſt qnadruplex.

Corporis,quæ fit cum ab eo tollitur anima.

Animæ,cum ab ea aufertur gratia Dei.

Hanc mortem,quæ prima uocatur,ſequitur mo rs

Gehennæ,& æternæ damnationis, quam Io.in Apocalypſi 20.uocat ſecundam.Eſt & alia mors propria chriſtianis, & piis omnibns, quæ

Spiritualis dicitur,ſiue Transformatoria,qua homo moritur peccato,& uiuit Deo,& ob id dicitur ſpiritualis.

Mortis cauſa, & origo eſt.

{ Pecatum, & Diabolus, } Ioan.Cartuſi. de quatuor nouiſsimis.

IVDICIVM, quo nihil eſt terribilius, præſertim filiis huius ſeculi obſtinatè peccantibus.

Iudicium ſecundum Ricardum eſt triplex.

{ Vniforme, Multiforme, Omniformæ,

Vniformæ primum eſt, hoc eſt iudicium præſentis eccleſiæ, quæ non iudicat, niſi de ſola qualitate retributionis,& in genere tantum,ſecundum quod bona bonis, & malis mala reddentur, ſed numerum, & quantitatem retributionum neſcit.

Multiformæ dicitur ſecundum, quod quilibet experitur in morte, accipiendo ſententiam de omnibus bonis, & malis quæ geſsit, ſed non omnia bona, uel mala, ſtatim



ſtatim recipit, quia recipit in anima tantum, & non in corpore.

Omniforme dicitur tertium. i.ultimum iudicium, quando recipit unuſquiſque ſecundum numerum, & quantitatem, ſiue bona,ſiue mala in corpore, & in anima. compen.Theol.

INFERNVS cuius pœna nihil intolerabilius, ac infelicius poteſt excogitari. vbi (ſcriptura teſte) fletus eſt, & ſtridor dentium.Matth.8.13.22.24.25. Luc.13. porrò

Infernus eſt lacus,ſine menſura,profundus,ſine profundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili,plenus dolore innumerabili. Ibi miſeria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. Hugo. libr. 4. de anima. cap.13.

In quo iuxta modum culpæ pœna diſtinguitur, & ſecundũ modũ criminis, unuſquiſque damnatus in inferni igne cruciabitur.

In quo erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, uermis immorta is, fœtor intollerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium,horrida uiſio Dęmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum. Erit enim miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit. Gregorius.

## DE FVTVRO IVDICIO.

Porrò illæ purgandorum animæ a pœna peccatis debita ſuo abſolutæ tempore non dormiunt, uſque ad iudicium, ſed cum Chriſto ſuo domino, regnant in cœlis beatæ, quo ut & omnes pios transferat Dei filios ſuos fratres, uenturus eſt ad iudicium. Sed quo demum anno, aut menſe, omnibus eſt incognitum, ut credentibus, & uiuentibus in eo reddat uitam æternam.

R qui

qui uerò non crediderunt, aut credentes male egerunt, ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius. Ambroſ. in Lucam. 22. cap. Auguſt. in pſal. 119. & de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 52.

## DE PVRGATORIO.

Quia uerò chriſtianorum hac uita exuti defunctorum, tria ſunt genera.

I. Beatorum cum Chriſto regnantium.

II. Damnatorum infinitate tormentorum miſerorum.

III. Purgandorum a peccatorum reliquiis. Sicut primum nullo noſtro eget auxilio, & ſecundum nullo iuuari poteſt patrocinio, ita tertium, uariis modis iuuari, & a pęnis quas pendit, poteſt liberari, non uiuorum tantum precibus, eleemoſynis, ac ieiuniis, &c. ſed ſalutari etiam dominici corporis ſacrificio; ait Auguſtinus ſerm. 32. de uerb. Apoſtol. de Ciuit. Dei. 21. c. 13. Enchir. 110. immo ipſi Apoſtoli pro mortuis offerendum docuere, ergo & purgatorium agnouerunt. Teſte Chryſoſt. Hom. 69. ad Antioch. Cyprian. libr. 1. epiſt. 9. Auguſtino loco iam commemorato. Gregorio. Nyſſæ; & tota totius Africanæ eccleſiæ Synodo. Tertul. quoque de exhort. caſtit.

## DE LIBERO ARBITRIO.

Certa fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt male, & cum gratia Dei bene agere, & poſt mortale peccatum admiſſum, Deo adiuuante pęnitere, & peccatorum remiſsionem conſequi, &c.

## DE IVSTIFICATIONE.

Ad iuſtificationem, ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides; qua certo credimus, Chriſtum Ieſum Dei filium nobis propitiatorem, a Patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius, ſine qua nullis noſtris operibus, nullaque pœnitentia iuſtificatione obtineri poteſt, ſicut nec fide ſola, ſine pœnitentia, & propoſito uiuendi ſecundum mandata Dei.

DE



## DE FIDE.

Fides qua quis firmiter credit, & certo ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum uitam ęternam nullum habet in ſcripturis teſtimonium immo eis dicendum aduerſatur, etiam ſi firma, & certa ſpe expectare debemus, in hac quidem uita per ſacramentum baptiſmi, & pęnitentiæ peccatorum remiſsionem, in ſeculo autem futuro uitam æternam.

Opera itaque bona omnibus adultis ſunt ad ſalutē neceſſaria, & cum ex fidei, & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ita grata ſunt Deo, ut eis tamquàm iuſtam mercędem uitam retribuat æternam.

## DE ARTICVLIS FIDEI.

Quæ primum chriſtiani homines tenere debent illa ſunt, quæ fidei Duces, Doctoresq; ſancti Apoſtoli diuino ſpiritu afflati duodecim ſymboli articulis diſtinxerunt. Quod autem.

SYMBOLVM nihil aliud eſt, quàm chriſtianæ fidei, formula, ſeu profeſsio, & compendiū, quod Apoſtoli Symbolum appellarunt, ſiue quia ex uariis ſententiis quas ſinguli in commune contulerunt conflata eſt: ſiue quia ea ueluti nota, & teſſera quadam uterentur, qua deſertos, & ſubintroductos falſos franes, qui euagelium adulterabant, ab ipſis qui uerè Chriſti militiæ ſacramento ſe obligarent, facilè poſſent internoſcere.

In hoc ſymbolo myſterium totius Trinitatis comprehenſum eſt.

Diuiditur nempè in tres partes quarum.

PRIMA continet ſymbolum rectæ fidei de Deo patre, ut in ipſa diuinæ naturæ prima perſona, & mirum creationis opus deſcribatur. Et abſoluitur nimirum, ſub his primi articulis verbis.

PETRI.

CREDO in { Deum / Patrem omnipotentem / Creatorem cœli, & terræ. }

SECVNDA continet ſymbolum rectæ fidei de filio Dei incarnato,& Paſſo,hoc eſt de ſecunda perſona, & humanæ redemptionis myſterio. Et abſoluitur ſex articulis continuo ſequentibus. Quos articulos recitat beatus Ignatius contemporaneus Apoſtolis in epiſtola ſua, ad Tralbianos, vt uel iſtinc intelligant omnes uenerãdam antiquitatem huius ſymboli. Qui ſunt

ANDREAE.

ET IN IESVM Chriſtum filium eius unicum dominum noſtrum.

IO. EVANGELISTAE.

QVI conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.

IACOBI MAIORIS.

PASSVS ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

THOMAE.

DESCENDIT ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

IACOBI MIN.

ASCENDIT ad cœlos,ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

PHILIPPI.

INDE uenturus eſt iudicare uiuos, & mortuos.

TERTIA continet ſymbolum rectæ fidei de Spiritu ſancto, & operatione eius, quam operatur in mundo poſt redemptionem morte Chriſti interpoſitam, & abſoluitur quinque ex inde ſequentibus articulis, ut ſint ſimul duodecim, qui uocantur articuli fidei chriſtianæ, & ſunt.

BAR-



BARTH.

CREDO in ſpiritum ſanctum.

MATHEI.

SANCTAM eccleſiã catholicam,ſanctorũ cõmunionem.

SIMONIS.

REMISSIONEM peccatorum.

IVDE TADEI.

CARNIS reſurrectionem.

MATHIAE.

ET vitam eternam.

Nam cum per aduentum ſancti ſpiritus ſuper ſingulos quoſq; Apoſtolos igneę linguę ſediſſent, ut loquelis diuerſis loquerẽtur,per quod eis nulla gens extranea, nulla linguę barbaries in acceſſa uideretur,& inuia, præceptum eis a domino datum hoc, ad prędicandum Dei uerbum ad ſingulas quemq; proficiſci nationes.

Diſceſſuri itaq; ab inuicem normam ſibi prius futuræ prædicationis, in commune conſtituunt, ne forte alii alio abducti,diuerſum aliquid iis, qui ad fidem Chriſti inuitabantur,exponerent.

Omnes itaq; in uno poſiti,& ſpiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi (ut diximus) prædicationis iudicium in unũ conferendo, quod ſentiebat unuſquiſq; componunt, atq; hanc credẽtibus dandã eſſe regulam ſtatuunt.

CREDO ergo. Vox iſta credendi hoc loco, putare, exiſtimare, opinari non ſignificat.

Sed (ut docent ſacræ litteræ) certiſsimam aſſenſionis uim habet,qua mens Deo ſua miſteria aperienti,firme, conſtanterq; aſſentitur. Quamobrem is credit, cui aliquid ſine ulla hæſitatione certum,& perſuaſum eſt.

NORMA.

Ne quis exiſtimet fidei notitiam minus certam eſſe, quod ea nõ cernantur,quæ nobis credenda fides proponit, diuinũ lumẽ, quo ea ꝑſpicimus, tametſi rebus ꝑſpicuitatẽ

non

non afferat, nos tamen de his dubitare non ſinit.

NORMA.

Verum illud præterea monendum eſt eum, qui dicit Credo, præterquàm, quod intimum mentis ſuæ aſſenſum declarat, qui interior fidei actus eſt, debere id, quod animo incluſum habeat, aperta fidei profesſione præſeferre, ſummaq; alacritate palam fateri, ac prædicare.

PRIMVS ERGO PETRI ART.

Credo in vnvm devm. Credo in Patrem omnipotentem creatorem cœli, & Terrae.

Duo hic Articulus nobis proponit credenda.

PRIMVM eſt unitas ſubſtantiæ diuinæ. Eſt enim unus tantum Deus, quod alius non ſit. Ille quidem ſine initio, ſine fine ſimplex, ſine ulla admixtione, inuiſibilis, incorporeus, ineffabilis inæſtimabilis, vnuſq; eſt in ſubſtantia, & Trinus in perſonis.

Non enim idem Pater, qui Filius, nec idem Filius, qui Pater. Nec idem Spiritus Sanctus, qui Pater, & Filius, quoniã tres ſunt perſonæ, in una deitatis ſubſtantia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & ipſa Trinitas in his perſonis Deus unus eſt.

Credamus ergo.

Vnitatem in eſſentia diuinitatis, &
Diſtinctionem in Perſonis.

Tres enim ſunt in diuinitate Perſonæ, ut dixi
Patris, qui a nullo genitus eſt.
Filii, qui ante omnia ſecula a Patre genitus eſt.
Spiritus ſancti, qui itidem ab æterno procedit ex Patre, & Filio.

SECVNDVM credendum ex iſto articulo propoſitum nobis eſt.

Perſona Patris. Patrem cum audis, Filii intellige Patrem. Non enim eſt Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre, qui paternæ ſubſtantiæ eſt imago, per quem operante ſpiritu ſancto Pater creauit Cœlum, & Terram, & omnia, quę in eis ſunt, tam corporalia, quàm ſpiritualia, tam uiſibilia, quàm inuiſibilia.



Et hoc nomine, quo Deus Pater appellatur, cum Patre pariter ſubſiſtere etiam filius demonſtratur.

Rectè igitur fideles primo ſe credere profitentur in Deum Patrem. Cuius maieſtatem ex Hieremiæ ſententia, incõprehenſibilem eſſe dicimus. Hier. 32. Lucem enim (ut ait Apoſt.) inhabitat inacceſſibilẽ, quem nullus hominum uidit, ſed nec uidere poteſt, i. ad Timoth. 6. Cum enim ad Moiſem loqueretur, non uidebit me (inquit) homo, & uiuet.

Quem { Cognoſcimus &
Confitemur. }

Cognoſcimus per { Naturam ideſt humanam filoſoficam,
& per { Fidem

Per naturam ex ductu Luminis naturalis,
{ ab effectibus, &
ab his, quæ ſenſibus percipiuntur. }

Per fidem, qua
{ Primum, externum ipſum luminis fontem aſſequimur.
Deinde, quæ infra ipſum poſita ſunt, intuemur.

Confitemur poſtea, unum ſolum, & non plures eſſe Deos, nam cum Deo ſummam bonitatem, & perfectionem tribuamus, fieri non poteſt, ut id, quod ſummum, atq; abſolutisſimũ eſt, inueniatur in pluribus. Quod ſi cui aliquod ad ſummum deeſt, eo ipſo imperfectum eſt, quare nec Dei natura illi conuenit. Deut. 6. Exod. 20. Eſai. 44. 48. 41. ad Epheſ. 4.

Omnipotentem hoc nomen omnibus in trinitate peſſonis eſt commune, & dicamus nihil eſſe, nihil animo, & cogitatione fingi poſſe, quod Deus efficere nequeat. Ait enim Aug. in lib. quęſt. ueteris, ac nouæ legis, omnia quidem Deus poteſt, ſed non facit. Facit, niſi quod conuenit

nit ueritati eius,& iuſtitiæ,omnia enim quæ uult poteſt, ergo dicitur omnipotens,& eſt quia poſſe illius non poteſt inueniri non poſſe, dicente propheta, omnia quæcunque uoluit fecit.

Credere enim in Deum Patrem omnipotentem creatorē cœli,& terræ,ualet iſta confeſsio

Ad fidem augendam, &
Confirmandam

Augendam,nam cum Deum omnipotentem agnoſcimus, ſimul etiam fateamur neceſſe eſt eum omnium rerum ſcientiam habere, omnia item eius ditioni, & imperio ſubiecta eſſe.

Confirmandam,nulla enim res,tam ad fidem, & ſpem noſtram confirmandam ualet,quam ſi fixum in animis noſtris teneamus,nihil non a Deo fieri poſſe,& horum uerborum hæc eſt ſententia.

CERTE Credo,certamente io credo,& ſenza dubio io tēgo Iddio Padre eſſere la prima perſona della ſantiſsima Trinità,qui ſua omnipotenti uirtute, cœlum & terram, & omnia quæ cœli ambitu, & terræ continentur, ex nihilo condidit,& condita tuetur, ac regit, & coſi non ſolo io il credo, toto corde, ma anche ore confiteor, & ſummo ſtudio ad illum tendo.

CREATOREM cœli,ſub quo continentur,ornatus ſyderum cum diſtinctione temporum.Angeli boni,qui ſteterunt,quos cum bona uoluntate.i.cum amore caſto, quo illi adhærent,creauit, ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam, & Angeli mali,qui ceciderunt, & qui a Deo parente,& creatore ſuo defecerunt,ex altiſsimis illis ſedibus deturbati,atque in obſcuriſsimum terrę carcerem incluſi,æternas ſuperbiæ ſuæ pœnas luunt.

ET TERRAE ſuper cuius ſtabilitatē effecit Deus, ut aſcēderent montes, & deſcenderent campi in locum quem fundauit eis, ne aqua eos inundaret, & conueſtiuit eos om-



omnium herbarum florumque uarietate.

Ex qua terra formauit hominem.

Vt non quidem naturæ ipſius ui, ſed diuino beneficio immortalis eſſet, & impaſsibilis.
Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.
Cumque libero Arbitrio, & imperio rationis, & cum
Dono iuſtitiæ originalis ac
Vt cęteris animantibus præeſſet.

## SECVNDVS ANDREAE ARTIC.

CREDO IN IESVM Chriſtum filium eius unicum Dominum Nostrvm.

Docemur hoc articulo,quod ille,qui uocatur proprio nomine Ieſus, cognomine uerò dignitatis,Chriſtus, ſit unus, & unigenitus filius Dei,ac proinde, & ipſe Deus in ſecula Benedictus.

Ex eo quoniam infallibiliter quod generatur, eiuſdem eſt naturæ cum generante,optimè enim conſequitnr,genitus eſt ab homine,ergo eſt homo, genitus eſt a Deo,igitur eſt & ipſe Deus.

Docemurque eundem eſſe filium Dei unicum, ab æterno genitum,naturalem,conſubſtantialem,& prorſus æqualem Patri ſecundum diuinitatem: Dominum uerò noſtrum, & omnium uerè credentium, ut quos ipſe perditos ultrò liberauit, ac redemit.

Secundam ergo perſonam in Trinitate profitemur

IESVM, & proprium nomen eſt eius, qui Deus, & homo eſt,quod ſaluatorem ſignificat,non quidem fortuito,aut hominum iudicio,& uoluntate,ſed Dei conſilio,& præcepto illi impoſitum.

CHRISTVM, quod vnctum ſignificat, ac honoris, & officii nomen eſt,nec unius rei propriū,ſed cōmune multorum.Nā ueteres illi Patres noſtri Chriſtos appellabant.

Sacerdotes,
Reges,
Profetas,

S Sa-

Sacerdotes,qui populũ aſsiduis precibus Deo cõmendant, qui ,ſacrificia Deo faciunt,qui pro populo deprecantur.

Reges quibus populorum gubernatio cõmiſſa eſt,ad eosq; pertinet maximè legum auctoritatem tueri , & nocentium audaciam ulciſci , &

Prophetas etiam ungendi mos fuit,qui Dei immortalis in terpretes , & internuncii cœleſtia arcana nobis aperuerunt, utque ad emendandos mores , ſalutaribus præceptis,& futurorum prædictione hortati ſunt.

FILIVM eius unicum dominum noſtrum,cioè io credo la ſeconda perſona della Trinità eſſer della iſteſſa natura, Poteſtà,& Sapientia con il Padre .

Quia natura diuina eſt omnipotẽs,æternus,& immẽſus.
Quia natura humana paſſus eſt mortuus, ſepultus , & reſurrexit.

FILIVM ergo eius unicum, quibus uerbis oſtenditur Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei uerum Deum, & uerũ hominem,genitum quidem,ut Deum,ante omnium ſeculorum ætates,ex Patre:ut hominem uerò natum in tempore ex Maria Virgine. Et quanquàm duplicem eius natiuitatem agnoſcamus, unũ tamen filium eſſe credimus, una enim perſona eſt,in quam diuina,& humana natura conuenit.

TERTIVS ARTICVLVS. IOAN. EVANG.

QVI conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.

ARTICVLI huius ſententia eſt, illum conceptum non eſſe,uti ſolent concipi fętus in uteris maternis a uiris ſuſcepto ſemine, ſed de Spiritu ſancto, hoc eſt operatione Spiritus ſancti.

Ac natum deinde ex Virgine nomine Maria,ideoque abſque uiri conſortio, nã illa uirgo erat dum pareret, ergo nullũ interceſsit conſortiũ uiri,ſed mãſit Maria intemerata,incorrupta,& intacta uirgo, ãnte,poſt,& in partu.

QVI



QVI conceptus eſt de Spiritu ſancto.

In utero Virginis,
Non ex virili ſemine,
Sed ſupra omnem naturę ordinem Spiritus ſancti uirtute.

Qua in conceptione,hoc eſt expendendum,quoniam cum dicimus Dei filium Spiritus ſancti uirtute cõceptum eſſe,unam hanc diuinæ Trinitatis perſonam incarnationis myſterium nõ confeciſſe,ſed tres illas perſonas omnes eius fuiſſe auctores.

In quo myſterio quædam fuere effecta

Naturæ ui, &
Supra naturæ ordinem

Vi naturę, quod ex puriſsimo Virginis matris ſanguine Chriſti corpus formatum credimus , in eoque naturam agnoſcimus humanam, cum illud omnium hominum corporibus commune ſit, ut ex matris ſanguine formentur.

Supra naturæ ordinem,quod ſimul,atque beata uirgo Angeli uerbis aſſentiens dxit, Ecce ancilla domini,&c.ſtatim ſanctiſsimum Chriſti corpus formatum , eique anima rationis compos coniuncta eſt, atque ita in ipſo tem poris articulo perfectus Deus, & perfectus homo fuit.

Et ſic teſtatur hic tertius articulus, eundem dominum,qui ab ęterno genitus,a Deo patre,ſine matre fuiſſe,propter nos de cęlis deſcendiſſe, & humanã aſſumpſiſſe naturã, qua temporaliter,& conceptus ſit in Nazaret,& ſub Auguſto natus in Bethleem,idque ſine patre ex illibata Virgine ſic æditus ,operante ſcilicet in illa uirtute Spiritus ſancti, ut uerbum Caro, & Deus homo fieret, atque Maria ſimul Dei Mater,& virgo eſſet.

Ea tamen ratione,quam mente nobis aſſequi non licèt, ne dum uerbis explicare,ſed ob eum finem,ut nos homines filii Dei renaſceremur.

S 2 QVAR-

QVARTVS IACOBI MAIORIS ARTIC.

PASSVS SVB PONTIO Pilato crucifixus, mortuus, & ſepultus.

QVIA enim non debebat, niſi homo, & congruè ſatisface re nemo poterat, niſi Deus, oportuit Chriſtum Deum, & hominem Deo patri offenſum genus humanum reconciliare, & primi parentis offenſam grauem, graui quoque ſupplicio redimere, Qui carne omnia ſuſtinuit, diuina eius natura impaſsibili perdurante: illa quidẽ paſſibilis, (ut nata erat pati) patiebatur; hæc uerò impaſsibilis exiſtens, & paſsionem non admittens, corpori non compatiebatur.

Docemur ergo ex hoc articulo, Chriſtum ut hominem uerè, & extremę paſſum ſub Pontio Pilato iniquo præſide, crucifixum item, & mortuum, & ſepultum, cum eſſet alioquin agnus ſine macula innocentiſsimus.

Animamque eius a corpore diuiſam eſſe, diuinitatem uerò non ſeiunctam eſſe a corpore. Et hoc debemus credere, animam ſeiunctam, & diuiſam a corpore fuiſſe, diuinitatem uerò, & corpori in ſepulcro, & animæ apud inferos coniunctam ſemper fuiſſe.

PASSVS eſt Chriſtus { Corpore, & / Anima }

- Corpore, nam captus irriſus, uariis iniuriarum, & cruciatuum generibus affectus demum in crucem ſublatus eſt.
- Anima, nam quod humanam naturã uerè aſſumpſit, neceſſe eſt fateri, etiam animo grauiſsimum dolorem ſenſiſſe.

Quanuis enim perſonæ diuinæ humana natura coniuncta fuit, tamen propter eam coniunctionem nihilominus paſsionis acerbitatem ſenſit, quàm ſi ea coniunctio facta non fuiſſet, cum in una Chriſti perſona uniuſque naturæ diuinæ, & humanæ proprietates ſeruatæ ſint. Iccirco quod erat paſsibile, & mortale, paſsibile, & mortale permanſit, rurſus uerò, quod erat impaſsibile, & immortale (qualem eſſe diuinam naturam intelligimus) ſuam proprietatem retinuit.



CRVCIFIXVS, mortuus. Filius unicus paſſus eſt, ideſt uarie afflictus per uiolentam atq; probroſam apprehenſionem, per impulſus truculentos, quibus trahebatur de loco in locum, de iudice ad iudicem, per irriſiones, contumelias, & flagella, quibus laniebatur a capite, uſq; ad Plantam pedis, per ſputa, per ſpineam coronam, per patribulum deniq; crucis, cui affixus fuit ferreis clauis, adeo ut mors ſequeretur diuidens animam a corpore, & exinde ſepultus more defunctorum Pilato præſide per formam iudicii ſic iudicante.

- Ieſus Chriſtus eſt iſte, qui paſſus eſt hæc omnia, Deus, & homo.
- Paſſus eſt creator pro iis, quos ipſe condidit.
- Paſſus eſt dominus pro ſeruis.
- Paſſus, & mortuus eſt is, per quem Angeli, homines, cœli elementa, facta ſunt.
- Ille inquàm paſſus eſt, in quo, per quem, & ex quo ſunt omnia.

PASSVS eſt ob iſtam cauſam, ut præter hæreditariam labem primorum parentum, uitia etiam, & peccata, quæ homines a mundi origine uſque ad hanc diem admiſerunt, ac deinceps uſq; ad conſumationem ſeculi admiſſuri ſunt tollerentur, &

PASSVS per hunc finem.

- Vt peccati liberatio eſſet.
- Vt a Demonum Tyranide nos eriperet.
- Vt pœnam peccatis noſtris debitam perſolueret.
- Vt cœlorum aditum, communi generis humani peccato interclusum nobis patefaceret.

QVIN-

## QVINTVS THOMAE ART.

DESCENDIT AD inferos, tertia die reſurrexit a mortuis.

DEſcenſus ad inferos, & Reſurrectio a mortuis, in uno articulo coniunguntur, in quo totum, quod Chriſtus nobis ſua morte meruit, explicatur.

Animæ enim noſtræ redemptio completa eſt per fracturam inferni, in deſcenſu ad inferos.

Corporis autem noſtri redemptio completa eſt in reſurrectione per gloriam corporis.

Deſcendit ergo ad inferos ipſe Chriſtus ſecundum animã diuinitati annexam (corpus enim in terra in ſepulchro quieſcebat) ideſt ad Limbum inferni ſuperiorem partẽ, ubi ſancti Patres ſaluandi detinebantur.

Inferorum enim nomen hoc in loco iſto nõ pro ſepulchro accipitur, ſed abdita illa ſignificat receptacula, in quibus animæ detinentur, quę cœleſtem beatitudinem non ſunt conſequutę, quæ quidem non unius, & eiuſdem ſunt generis omnia.

EST enim unum receptaculi genus, qui uocatur in ſcripturis, Sinvs Abrahæ, nonnunquam porta inferni, conſueto autem nomine, Limbus, in quo erant animę Sanctrum Patrum, ibiq; ſine ullo doloris ſenſu beata redemptionis ſpe ſuſtentati quieta habitatione fruebantur, uſq; dum eas eriperet Chriſtus.

EST quoq; aliud, & uocatur in ſcripturis Carcer, ſiue ignis Probatorius, conſueto autem uocabulo Purgatorium, in quo expiantur animæ electorum, nondum ante mortem ſatis emaculatæ, ut eis in æternam patriam ingreſſus patere poſſit, in quam nihil coinquinatum ingreditur.

EST poſtremo tertium, quod teterrimus, & obſcuriſsimus carcer dicitur, Gehenna ignis, ignis æternus, ignis inextinguibilis, ignis præparatus diabolis, atque Angelis eius, baratrum, ſupplicium ſempiternum, uſitato autem nomine Infernvs, quod eſt damnatorum receptaculũ, ex quo prorſus nulla eſt ſperanda redemptio, ubique perpetuo, & inextinguibili igni eorũ animæ ſimul cũ immundis ſpiritibus torquẽtur, & abyſſus ultimo uocatur.



Cauſæ cur deſcenderit ad inferos Chriſtus dominus fuere.

Vt primo ereptis dęmonum ſpoliis, ſanctos illos Patres, cęterosque pios è carcere liberatos, non ſolum qui poſt Aduentum domini in lucem editi erant, ſed qui illũ poſt Adam anteceſſerunt, ſecum adduceret in cęlum, uel qui uſque ad finem ſæculi futuri ſunt, paſsionis ſuę beneficio dignos redderet. &

Vt ibi etiam quemadmodum in cęlo, & in terris uim ſuam poteſtatemque declararet, & omnino ut in nomine eius omne genu flecteretur, Cęleſtium, Terreſtrium, & Infernorum. Philip. 2.

TERTIAQVE die reſurrexit a mortuis: tribus enim diebus, & noctibus poſt mortem ſuam, iacuit corpore ſepultus, anima eius interim peregrinata apud inferos.

RESVRREXIT Chriſtus.

Vt iuſtitia Dei oſtenderetur.

Vt fides noſtra confirmaretur.

Vt ſpes noſtra aleretur, atque ſuſtentaretur.

Vt poſtremo ſalutis, & redemptionis noſtrę myſterium abſolueretur. Chriſtus enim morte ſua nos a peccatis liberauit, Reſurgens uerò pręcipua bona nobis reſtituit, quæ peccando amiſeramus.

Reſurrectione ſua hoc denique maximè dominus effecit.

## NORMA.

Non eſt prætereundum quod tertia die Chriſtus reſurrexiſſe dicatur. Vt enim diuinitatem ſuam declararet, reſurrectionẽ ad finem ſeculi differre noluit. Rurſus uerò, ut cum uerè hominem, uereq; mortuum eſſe crederemus non ſtatim poſt mortem, ſed tertia die reſurrexit, quod tem-

temporis ſpacium, ad ueram mortem comprobanda ut ſatis eſſe uidebatur.

SEXTVS IACOBI MINO. ART.

ASCENDIT AD COELOS, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

ET docentur hoc articulo fideles de Chriſto Ieſu illud etiam ſine ulla dubitatione credere oportere, cum perfecto iam, & abſoluto redemptionis noſtræ miſterio, ut homo eſt, in cœlum corpore, & anima ſua ipſius uirtute, non alieno adiutorio aſcendiſſe, Nam ut Deus eſt, nunquàm ab eo abfuit, ut qui diuinitate ſua loca omnia compleat.

Credamus ergo in cœlum aſcendiſſe Chriſtum, ſua uirtute, non aliena ui ſublatum, qnemadmodum Elias, qui igneo curru in cœlum euectus eſt. 4. Reg. 2.

Neq; uerò ſolum, ut Deus, præpotenti diuinitatis uirtute in cœlos aſcendit, ſed etiam ut homo eſt.

ASCENDIT igitur Chriſtus a terra in cœlum ſecundum naturam hominis ex uirgine aſſumptam; quæ natura ut loco circumſcribitur, ita & de loco ad locũ moueri põt.

Hæc enim læta Chriſti aſcenſio noſtrę fidei ac ſpei certitudo eſt, ut quo caput præceſſit, proſtratis ſemel hoſtibus eodem membra etiam ſi capiti modo pareant, & in hæreant ſuo, peruentura eſſe maxime confidamus.

SEDETQ. ideſt etiam nunc Chriſtus in cœlum aſsumptus, pacifice in gloria, & maieſtate eſt, & omnia quiete, & pacifice cum patre iudicat, & diſponit.

IN dextera patris, ideſt in æterna beatitudine, ubi a ſeculo ſedes ei parata erat.

DEI PATRIS omnipotentis, his uerbis utimur ad explicandum Chriſti gloriam, qnam ut homo precæteris omnibus adeptus eſt, eumq; in patris dextera eſse confitemur. Sedere autem hoc loco, non ſitum, & figuram corporis ſignificat, ſed eam regiæ ſummæq; poteſtatis, ac gloriæ



gloriæ firmam, & ſtabilem poſſeſsionem, quam a patre accepit, declarat, quam gloriam adeò conſtat propriã, & ſingularem domini eſſe, ut cuiuis alii creatæ naturę conuenire non poſsit. Ad quem enim Angelorum dixit aliquando, ſede a dextris meis. Hæb. 1.

SEPTIMVS PHILIPPI ARTIC.

INDE VENTVRVS eſt iudicare uiuos, & mortuos.

CREDO, quod in die iudicii Chriſtus in carne humana glorificata cum maieſtate, inde (.i. e cœlis, ad quos aſcẽdit) cum nubibus cœli deſcendit. Iudicabitque uiuos, & mortuos, id eſt omnes homines, qui ſunt, fuerũt, & erunt, non ſolum de geſtis, ſed etiã de cogitatis, reddens unicuique ſecundum opera ſua.

HOC articulo admonemur, ut eo cautius, rectiusque uiuamus, quo certius intelligimus noſtras, & actiones, & cogitationes omnes uerſari ſemper ad oculos cuncta cernentis, & æquiſsimè iudicantis.

VENTVRVS eſt. duos aduentus filii Dei teſtantur ſacræ litteræ.

Primus fuit, cum ſalutis noſtræ cauſa carnem aſſumpſit, & homo in virginis aluo effectus eſt.

Alter, cum in conſumatione ſeculi, ad iudicandos omnes homines uenier, & uocatur is Dies domini.

TEMPORA duo ſunt, in quibus unicuique neceſſe eſt in conſpectu domini uenire, & ſingularum cogitationum, actionum, uerborum denique omnium rationem reddere, demumque iudicis præſentem ſubire ſententiam.

Primum tempus eſt, cum unuſquiſque noſtrum migrat e uita, nam ſtatim ad Dei tribunal ſiſtitur, ibique de omnibus iuſtiſsima quæſtio habetur, quæcunque, aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit unquàm, atque hoc priuatum uocatur IVDICIVM.

Alterum uerò, cum uno die, atque uno in loco, omnes ſimul homines, ad tribunal iudicis ſtabunt, ut omnibus

omnium ſæculorum hominibus inſpectantibus, & audientibus, ſinguli quod de ipſis decretum, & iudicatum fuerit, cognoſcant. Hoc generale appellatur IVDICIVM.

Tunc enim in iſto aperientur libri (libri inquàm numero plurali) teſte Ioanne in Apocalypſim, qui erunt uelut Elenchi, & indices omniũ, quæ quiſq; geſsit in uita ſua.

Præterea, & alius quidam liber uitæ itidem aperietur, teſte eodem & iudicabuntur omnes ex his libris ſecundum opera ipſorũ, & omnes qui non fuerint inuenti in libro uitę, mittẽtur in ſtagnum ignis, nec uno quidẽ excepto.

In quo duplicem pœnam colligunt Theologi eſſe.
Pęnam damni, qua damnati priuantur aſpectu Dei.
Alteram ſenſus, quod ſenſu corporis percipiatur.

Ergo omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. 2. Cor. 5.

OCTAVVS BARTHOL. ARTIC.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM, Credo inquàm in ſpiritum ſanctum ſcilicet tanquàm in uerum Deum meum, illi me quoque totum committo, ſicut enim datur ſalus a Deo Patre, & a Deo Filio, ita datur, & a ſpiritu ſancto. Conſiſtit namque huius articuli explicatio, in nominis notione, quod eſt commune etiam Patri etiamque, & Filio.

Vterque enim & ſpiritus eſt, & ſanctus.

Proprium namque ſpiritui ſancto nomen tributum nõ eſt.
Cum eius
Productio, eius
Spiratio, eius appelletur.
Proceſsio.

Procedit enim a Patre, & a Filio tamquàm ab uno principio, æterna proceſsione, & tertia dicitur in Trinitate perſona.

Hic enim eſt ille paracletus, & doctor ueritatis, qui corda credentium illuſtrat, purificat, ſanctificat, & in omni ſanctitate confirmat.



Hic eſt qui, & adiuuat infirmitatẽ noſtrã, & ſingulis prout uult, uarias donationes ſuas diſtribuit, impertitque.

| | |
|---|---|
| Spiritus enim eſt | Sapientiæ, |
| Spiritus | Intellectus, |
| Spiritus | Conſilii, |
| Spiritus | Fortitudinis, |
| Spiritus | Scientiæ, |
| Spiritus | Pietatis, & |
| Spiritus | Timoris Domini, |

Vocantur enim eius Dona.

NONVS MATTHAEI ARTIC.

CREDO IN SANCTAM eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem.

Abbrazza queſto articolo la ſanta Chieſa catholica, cioè la caſa, & edificio di Dio, Grex ouium Chriſti, quarum ille oſtium eſt, ſponſa Chriſti.

Credo igitur eccleſiam eſſe unam Deo cõgregatam, in qua eſt una fides, unum baptiſma, in qua unus Deus creditur Pater, filius, ſpiritus ſanctus.

Eccleſia eſt autem tota fidelium in Chriſto per baptiſma regeneratorum cõgregatio, cuius Chriſtus eſt caput, et optimi quique chriſtiani, eius mẽbra ſunt, inuicem charitatis uinculo coniuncta, mali etiam eius membra ſunt, ſed putrida, & per peccata mortua.

ET ſi diuide nella trionfante, & nella militante.

IN triumphanti, eſt cætus ille clariſsimus, & fęliciſsimus beatorum ſpirituum, & eorum, qui de mundo, de carne, & de iniquiſsimo dæmone triumpharunt. in

Militanti, cœtus eſt omnium fidelium cũ carne, cum mundo, & cum peſsimo Satana ſemper militantium.

Quatuor enim habet proprietates, ut ſit Vna, Sancta Catholica, Apoſtolica.

T 2 Vna

Vna, nã una (inquit) eſt colũba mea, una eſt ſpecioſa mea, Cant.6. Vnica ergo & non plures, ſicut fuit unica Arca Noe; in qua tantum ſalui facti ſunt homines a diluuio, aliis, qui extra arcam Noe erãt, aqua diluuii obrutis. ſic extra unam eccleſiam non eſt ſalus.

Sancta, uel quod Deo conſecrata, dedicataque ſit, uel quia ueluti corpus cum ſancto capite Chriſto domino totius ſanctitatis fonte coniungatur, uel quia indeſinenter primum Chriſti ſanguine ſanctificatur, deinde ſpiritus ſancti operatione, tertio ſacramẽtis, nec nõ propria uniuſcuiuſque fide ac dilectione.

Catholica.i.uniuerſalis, quoniam a ſolis ortu uſque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur.

Vniuerſalis adeo, ut omnes omniũ tẽporum locorũq; homines, qui modo in Chriſti fide, ac doctrina conueniunt, uno quaſi materno ſinu excipiat, concludat, ac ſaluet.

Apoſtolica; etenim ſpiritus ſanctus, qui eccleſiæ præſidet, primum quidem apoſtolis tributus eſt, deinde uerò ſumma Dei benignitate, ſemper in eccleſia manſit.

COMMVNIONEM ſanctorum, hoc eſt ſocietatem ſanctorũ, ut ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.

Communionem ſacramentorum, quibus fideles quaſi ſacris uinculis Chriſto connectuntur, & quibus fruuntur, qui in charitate uitam chriſtianam degunt, iuſtique, & cari Deo ſunt.

A qua Vnica, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eccleſia tria tantummodo genera hominum excluduntur.

- Primũ Ethnici, & infideles, eo quia in eccleſia nunquàm fuerunt, neque eam umquàm cognouerunt, nec ullius ſacramenti participes in populi chriſtiani ſocietate facti ſunt.
- Secundum heretici, atque ſchiſmatici, quia ab eccleſia deſciuerunt.





Poſtremò etiam excommunicati, quod eccleſiæ iudicio ab ea excluſi ad illius communionem non pertineant, donec reſipiſcant.

DECIMVS SIMONIS ART.

REMISSIONEM PECCATORVM, ita credo ut in ipſa ſancta eccleſia uera clauium poteſtas ligandi, atque ſoluendi, de qua fuit ab ipſo Chriſto dictũ Petro. Quodcunque ligaueris, uel ſolueris ſuper terram, erit ligatum, uel ſolutum in cœlo, & non ſolum Petro, ſed & in ipſo omnibus aliis.

Itaque etiam credo, quod quantumcunque, & quotieſcunque homo peccauerit; tamen per integram contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem ex Dei miſericordia merebitur in eccleſia peccatorum ueniam.

- Originalis inquàm peccati.
- Mortalis peccati.
- Venialis peccati.
- Et plane omnium qualitercunque, & quotieſcunque iterata.

Remiſsiouem peccatorũ, in ipſa enim tria ſunt ſpectanda.

- Primo, Cuius uirtutis ſit peccata remittere.
- Secundo, Qua ratione Deus pater mundi peccata delere conſtituerit.
- Tertio, Quibus ueluti inſtrumentis hęc cõferatur uenia.

Cuius uirtutis, conſtat enim ab uno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium auctorem, quàm ad ſummam eius bonitatem, & potentiã, tam munificum opus referendam eſſe. Ego ſum.n. (inquit ipſe dominus, per Profetam) qui deleo iniquitates tuas, & peccata. Iſa.43.

Qua ratione, ſanguine enim unigeniti filii ſui, ſcelera noſtra expiare uoluit, ut pœnam, quam nos pro peccatis commeruimus, ultrò ille perſolueret, iuſtusque pro iniuſtis damnaretur, innocens pro reis morte acerbiſsima afficeretur.

Quibus inſtrumentis: nam per ſacramenta ſolum ſi eorum forma ſeruetur, peccata remitti poſſunt: aliter uero nullum ius a a peccatis ſoluendi eccleſiæ datum eſt.

Remiſſionem. Nempe de omni remiſſione.

DE
- Remiſſione, quo ad culpam.
- Remiſſione, quo ad reatum.
- Remiſſione, quo ad pœnam
- Remiſſione deniq;, quæ ſimul tollit uniuerſas ſordes ac pollutiones animæ.
- Omnem deniq; miſeriam, ac ſeruitutem, in quæ incidit homo peccando.

Verum, Chriſtus ſua auctoritate, Cæteri uero, ut Chriſti Miniſtri peccata dimittunt.

## VNDECIMVS IVDAE TADEI ART.
## CARNIS RESSVRECTIONEM.

Omnes quidem reſurgent cum corporibus ſuis, reddituri de factis propriis rationem.

Nam reſurrectio hominum, in hoc articulo carnis reſurrectio appellatur, ut duarum partium animæ, & corporis quibus homo conſtat, alteram tantum, nempe corpus corrumpi, & in puluerem terræ, ex qua compactum eſt redire, animam uero incorruptã manere intelligamus.

Et ſic corpora noſtra, quæ moriuntur, & exinde computreſcunt, tandemq; redeunt in cinerem, prorſus eadem ſuſcitabuntur a morte cũ eiſdem oculis, eiſdem manibus, eiſdem pedibus, omnibuſq; membris eiſdem, quibus antea uixerunt.

Qui enim, uel ab ipſo ortu, oculis capti ſunt, uel ob aliquẽ morbum lumina amiſerunt, claudi, atq; omnino manci, & quibuſuis membris debiles, integro, atq; perfecto corpore reſurgent.

Par omnium conditio non erit, ſed reſurgent,
- Qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ.
- Qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem iudicii Io. 5.

Et erit



Et erit in nouiſſimo die, nempe poſt quem ceſſabit, omnis dierum, menſium annorum uiciſſitudo, in momento, in ictu oculi, in nouiſſima Tuba.

In corporibus erit Impaſſibilitas, munus ſcilicet, & dos, quæ efficit, ne moleſti aliquid pati, ullo ue dolore, aut incomodo affici queant. Incorporibus quoq; erit
- Claritas, qua ſanctorum corpora tamquàm ſol fulgebunt.
- Agilitas, qua corpus ab onere, quo nunc præmitur, liberabitur.
- Subtilitas quoq;, cuius uirtute corpus animæ imperio omnino ſubiicietur, eiq; ſeruiet, & ad nutum præſto erit. Seminatur enim corpus animale, & ſurget corpus ſpirituale 1. Cor. 5.

## VLTIMVS MATHIAE ART.
## VITAM ETERNAM, AMEN.

Cuius gloriam oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. 1. Cor. 2.

Optima concluſio Symboli Apoſtolici, ubi credenda omnia terminantur periodo uitæ æternæ, qua ut nihil eſt optabilius, ita nihil debet eſſe prius in uotis noſtris.

VITAM ęternam, ideſt, Credo, quod poſt corporis mortẽ, animæ uiuent immortales.

Iuſtæ quidem in cœlo.

Peccatrices uero in inferno, ante diem iudicii ſine corpore: poſt iudicii Diem etiam cum corpore.

Vita æterna hoc loco non magis perpetuitatem uitę, cui etiam demones, ſceleratiq; homines addicti ſunt, quàm in perpetuitate beatitudinem, quę beatorum deſiderium expleat, ſignificat.

Vita ęterna hęc eſt (inquit Chriſtus Dominus) ut cognoſcãt te ſolum Deum, uerum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.

Quam ſententiam ſanctus Ioannes uidetur interprætari, cum ait. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus

mus,quoniam uidebimus eum ſicuti eſt.

Omnium ſymboli articulorum ſumma hæc eſt.

Credo corde,& Ore confiteor ſimul dominum Deum,quo nihil aut maius,aut ſapientius,aut melius poteſt excogitari.

Eundem, & unum in eſſentia, ſeu natura diuina,& Trinũ in perſonis eſſe,ut potè Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum,ita ut hi tres unum ſint,verus,æternus,immenſus,& incompræhenſibilis Deus.

Ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia.

EX PRAECEPTIS I DECALOGI COMPERENSIS.

SVMMA omnium legum, & epitomen eſse Decalogum S.Auguſtinus litteris commendauit.

Et ſi dominus multa fuerit locutus,tamen duæ tantum Lapideæ Tabulę Moyſi datæ fuerunt, in quibus continentur decem pręcepta. Quorum Tria pertinent ad Deum.

- Non habebis deos alienos coram me.
- Non aſumes nomen domini Dei tui in uanum.
- Diem ſabathi ſanctifices.

Cętera uero ſeptem ad Proximum pertinent. &c.

- Honora patrem tuum,& matrem tuam,ut ſis longęuus ſuper terram,quam Dominus Deus tuus dabit tibi.
- Non occides.
- Mon mœcaberis.
- Non furtum facies.
- Non loqueris contra proximum tuũ falſum teſtimoniũ.
- Non concupiſces domum proximi tui.
- Non deſiderabis uxorem eius, non bouẽ non aſinũ,&c.

Quia.n.in decem pręceptis decalogi Moſaycę legis omnis reuerentia diuini cultus relucet,nec tamen conſiderandum eſt,quale aut quantum ſit, quod iubetur,ſed quantus ſit ille, qui iubet,& quam magna pollicetur mandata eius exequentibus, eam ob rem optime cuiq; obſeruanda ſunt Dei præcepta,a quibus adimplendis ſi labor





deterret præmium inuitare debet.

Si hęc ſeruaueris, angelorum es donandus conſortio, regnum accepturus cœlorum,& in perpetuum cum eo mãſurus,qui hæc tibi obſeruanda præcepit.

OBSERVATIO legis eſt neceſſaria.Ait enim Apoſtolus, non præputium, non circuncíſionem aliquid eſſe,ſed obſeruationem mandatorum Dei.

Non eſt tamen DIFFICILIS, quod uel una hac ratione ex Auguſtino probari poterit,cum dicit.

Quid quęſo dicitur impoſsibile eſſe homini amare; amare inquàm creatorem beneficum, patrem amantiſſimum,deinde etiam & carnem ſuam in fratribus ſuis ? At uerò qui diligit,legem impleuit,nihil autem amanti difficile.

Inter cętera,quę animos hominum,ad huius legis iuſſa ſeruanda poſſunt impellere,illud maximam uim habet.

Deum eſſe huius legis auctorem.Quamuis enim per Angelos data eſſe dicatur,nemo tamẽ dubitare poteſt ipſum Deum eſſe legis auctorem.

VNVM COLE DEVM.

HOC fit in mandato primo,ut ſuper omnia,colamus, inuocemus,fide agnoſcamus,adoremus ſummum illud bonum Opt.Max. Creatorem, Redemptorem, Saluatorẽ, unum & immortalem Deum,qui eſt ſuper omnes,& per omnia,& in omnibus nobis.

Et pręcipitur nobis hoc pręcepto LATRIA.i.ſeruitus, Adoratio,Honor,& Reuerentia ſoli Deo exhibenda.

- Quę fit corde.
- Quę fit corpore.
- Corde fit per fidem ſpem, & charitatem ſummam in Deum habitam.
- Corpore, per adorationem, laudem Dei uocalem, ſacrificium, ieiunium, & alios geſtus cedentes in honorem Dei.

Nobis ergo præcipitur per fidem. Credere duodecim articulis fidei explicitè, & implicitè, omnibus, quibus ſancta eccleſia credit, & habere interiorem mẽtis deuotionem in Deum,& eius ſanctos propter eum. per

Charitatem,quod eſt,nullam prorſus creaturam quantumuis excellentiam pro Deo habere, ſolum autem unum, uerum,æternum,immenſumque Deum credere,& confiteri, & ſuper omnia eum diligere. per

Spem,in Deo firmiter confidere, & quod ex ſua miſericordia, & gratia intercedentibus noſtris operibus bonis, æterna beatitudine nos donabit.

Ergo peccant in hoc præceptum,

- Qui Fidem,Spem, & Charitatem non habent, quorum peccatum latiſsimè patet. ſunt enim in hoc numero, Qui in hæreſi labuntur.
- Qui non credunt ea,quæ ſancta mater eccleſia credenda proponit.
- Qui ſomniis,auguriis, cæteriſque uaniſsimis rebus ſidem habent.
- Qui de ſua ſalute ſpem abiiciunt, nec diuinæ bonitati confidunt.
- Qui diuitiis tantum,qui corporis ualetudine, ac uiribus nituntur.

Sancti nempè a nobis ſicut Deus adorandi, & honorandi non ſunt,ut in eis præcipuam ſpem,& cõfidentiam collocemus,& pluſquàm in Deum.

Verùm a nobis orandi,& honorandi ſunt, tanquàm amici, & filii Dei per gratiam, & tamquàm aduocati, & interceſſores noſtri apud Deum omniũ bonorum largitorẽ.

Sancti itaque Angelici,& hominum beatorum ſpiritus,& venerandi, & inuocandi ſunt, præcipuè pro charitate, qua nos ipſi Angeli diligunt, qua ducti pro iis prouinciis,quibus præſunt,præces fundunt,quod etiam prçſtare iis,quorum ſunt ipſi cuſtodes(ut ex ſcriptura facilè intelli-



telligitur:nec dubitandum quidẽ eſt) noſtras enim Deo præces offerunt, & lachrymas.

Quod autem perpetuo Deum intueantur, & patroçinium ſalutis noſtræ ſibi delatum libentiſsimè ſuſcipiunt, teſtimoniis ſacræ ſcripturæ comprobatur.

Tum Geneſis.c.32.&48.
Tum aliis plurimis, &
Auctoritate Conciliorum, Nicæni alterius, Gangrenſis, & Tridentini,&

Sanctorum Patrum, & in iis Auguſtini, qui teſtatur multa Deum non concedere, niſi mediatoris, & depræcatoris opera,& officiũ acceſſerit,& conſuetudine ab Apoſtolis accepta, & in eccleſia Dei perpetuo retẽta & cõſeruata

## NEC IVRES VANA PER IPSVM.

HVIVS legis, ſiue edicti diuini duplex eſt ratio.

- Vna,qua iubemur diuino nomini honorem tribuere.
- Altera,qua uetamur diuinũ nomen in uanum aſſumere.
- In prima uarii ſunt modi,in quibus Deus ſit laudandus, ut ex ſcripturis facile uidere eſt.
- In ſecunda uetatur omnis falſa, inordinata, temeraria, & inconſiderata diuini nominis aſſumptio, ut fit blaſphemando.

Vetatur etiam omne iuſiurandum ſine cauſa legitima, ſiue fiat per Deum,per ſanctos,per crucẽ,per ſanctum euangelium, per fidem, per animam,per caput, ſiue per alias creaturas.

Apparet enim eum graui peccato ſe obſtringere, qui non cõſilio,ſed temeritate ad iurandum fertur;grauiſsimum autem delictum hoc eſſe illa etiam uerba declarãt. Non aſſumes nomen Dei tui in uanum,quaſi rationem afferrat cur hoc facinus ſceleſtum adeo, ac nefarium ſit, nimirum propterea, quod eius maieſtas minuitur, quem

 nos

nos Deum,& dominum noſtrum eſſe profitemur.

In iuſiurando tria requiruntur, quibus ſeruatis tutò iurare licebit.

Veritas,
Iudicium, &
Iuſtitia.

Veritas, quam iureiurando neceſſariam eſſe, Dauid quoque indicat illis uerbis. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit. pſal.14.

Iudicium, neque enim iuſiurandum temere, & inconſideratè, ſed conſultò, & cogitatio adhiberi debet.

Iuraturus primum conſideret, utrum neceſsitate cogatur, nec ne, remque totam accuratè expendat, an eiuſmodi ſit, ut iure iurando indigere uideatur.

Tempus præterea ſpectet.
Locum attendat.
Aliaque permulta, quæ rebus adiũcta ſunt, circunſpiciat.
Non odio.
Non amore, aut
Animi perturbatione impellatur.
Sed ipſius rei ui, & neceſsitate.

Iuſtitia denique, quę maximè in promiſsis requiritur. Quare, ſi quis iniuſtum aliquid, & inhoneſtum promittit, & iurando peccat, & promiſsis faciendis ſcelus ſcelere cumulatur.

Deteſtabili ergo ſcelere ſe ipſos adſtringunt, qui ſacroſanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicẽdum, & ſummis laudibus extollendum, aut etiam ſanctorum nomen cum Deo regnantium, impuro, & contaminato ore blaſphemare, atque execrari audent.

## SABBATHA SANCTIFICES.

HVIVS præcepti ſenſus uerus ac proprius eo ſpectat, ut Homo, et animo, et corpore in eam curam incumbat, ut ſtatuto aliquo tempore, a negotiis, corporiſque laboribus feriatus, Deum pie colat, ac ueneretur.

Pro-



Prohibet enim hoc tertium mandatum, diebus feſtis laborare, & occupationibus deditum eſſe profanis, ut ocio ſancto uacemus adeundo templum, & audiendo publicum eccleſiæ ſacrum, ſeu Miſſam, & ſanctam cõcionem, & cõſcientiam diſcutere de peccatis commiſsis, a Deo ueniam petere, reducere in memoriam beneficia ſibi a Deo collata, Mortem, Infernum, Purgatorium, Paradiſum, Ieſu Chriſti paſsionem ſibi ob mentis oculos præponere, & eo maximè tempore a peccato ſe continere.

Admonemur itaque in hoc, ut ſex ipſis diebus opera noſtra efficiamus, ne aliquid eorum, quæ aliis hebdomadæ diebus fieri, ac agi oporteat, in diẽ feſtum reiiciatur, atque ita animus a diuinarum rerum cura, ſtudioq; auocetur.

In die Sabbathi poſtea admonemur.
Vt ad Dei templum accedamus, eoq; loco ſyncera, piaq; animi attentione ſacro ſanctæ Miſſæ ſacrificio interſimus.
Vt diuina eccleſiæ ſacramenta, quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, ad animæ uulnerum curationem crebro adhibeamus.
Peccata ſacerdotibus ſæpe confiteamur.
Sacroſanctũ Euchariſtię ſacramẽtũ crebro percipiamus.

In lege autem gratiæ non ſanctificamus Sabbathum, ſed diem ſequentem. i. dominicam, in quo dominus noſter Ieſus Chriſtus reſurrexit.

## HABEAS IN HONORE PARENTES.

### NORMA.

Præceptis tribus ſuperioribus, de quibus dictum eſt, quaſi ſubiecta materies, quã tractent, eſt Deus. i. ſummũ bonũ.

Cæteris uerò præceptis proximi bonum.

### NORMA.

Charitas Dei ex ipſo pendet, Deus enim per ſe, non alterius rei cauſa, ſummè diligendus eſt.

Charitas autem proximi a charitate Dei ortum habet, atque

que ad eam, tamquàm ad certam regulam, dirigenda eſt.

ALIA.

Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus, ſatis digne tribuitur, in quem amor augeri infinite poteſt.

At charitas, qua proximum complectimur, ſuis finibus circumſcribitur. Iubet enim Dominus proximus diligere, ſicut nos ipſos.

Violant hoc mandatum quicunque non deferunt honorē parentibus. Deinde qui non obtemperant mandatis eorum, etiam ſi alioqui uenerentur eos, potiſsimum autē qui floccipendunt mandata eccleſiæ, quæ modis omnibus mater noſtra eſt.

Aut rebelles ſunt iis, qui a Deo acceperunt præſidendi in eccleſia poteſtatem. Tertio, qui ſenectutem parentum, aut ſuperiorum non ſuſcipiunt, neque ſubleuant pro uiribus egeſtatem illorum.

Parentes noſtros tunc honoramus, cum noſtras rationes ad eorum arbitrium, uoluntatemque conferimus.

Eorum rectè facta, moresque imitamur.

Conſilia eorum nō modò exquirimus, uerū etiā ſequimur.

Eis ſubuenimus, & impertientes, quæ uictus, cultusque deſiderat.

Sed tum maximè ſunt honorandi, cum periculosè ægrotāt.

Atque etiam mortuis, quod fit ſi iis funus facimus,

Si exequias cohoneſtamus.

Si honorem ſepulturæ impertimus.

Si iuſta ſacrificia anniuerſariorum curamus.

Si quæ ab his legata ſunt, diligenter perſoluimus.

Et in iſto nobis præcipitur { Reuerentia, Obedientia, Subuentio,

Reuerentia eos parentes amando.

Eis bona operando.

Pro eis orando, & ſedulo cauendo, ne dicto, aut facto eos offendamus; eis aſſurgēdo, & honorem exhibendo.



Obedientia, eis morem gerēdo, in omnibus, quæ ad bonos mores pertinent, & ad utilitatem rei familiaris, exēplo domini noſtri Ieſu Chriſti totius uirtutis exēplaris, qui Mariæ matri, & Ioſeph, propter Mariam ſe ſemper morigerum præſtitit.

Subuentio, eos conſolando, & neceſſaria eis miniſtrando.

Patres, & parentes uocantur illi præcipue, ex quibus generati ſumus.

Eccleſiæ Præſides, paſtores, & ſacerdotes.

Illi etiam, quibus, aut imperium, magiſtratus, & poteſtas commiſſa eſt.

NON OCCISOR ERIS.

Non ſolum enim ſuis cuique manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut ueneno uitā homini eripere non licet,

Sed conſilio, ope, auxilio, uel alia quacunque ratione id fieri prorſus uetitum eſt.

Nemo plane excipitur, de his, qui cedem faciunt, non diuites, non potentes, homines, non domini, non parentes, ſed delectu omni, & diſcrimine remoto occidere uetitum eſt omnibus.

HOC autem præcepto non omnis occiſio uetatur, ſed tantum iniuſta hominum occiſio, iniuſtumque hominum nocumeutum.

Non eſt huius præcepti reus, qui non ſponte, neque meditato, ſed fortuito hominem occidit.

In hoc præcepto, quæ nobis ſeruanda iubentur, hæc ſunt.

{ Charitas, Manſuetudo, Remiſsio iniuriæ,

Charitas, qua ſine ulla exceptione omnes ſunt complectendi. Cuius comites ſunt

Patientia, in qua nos animas noſtras poſſeſſuros eſſe ſaluator

uator docet. Luc. 21. &

Benignitas, atque beneficentia, cuius officium in his rebus maximè uerſatur, ſcilicet. Vt pauperibus ſuppeditemus res neceſſarias, cibum eſurientibus, ſitiẽtibus potum demus, nudos ueſtiamus, & quo quiſque opis noſtræ magis indiget, eò in illam plus liberalitatis conferamus. Hæc officia, quę per ſe ſunt illuſtria, eò fiunt illuſtriora, ſi inimicis præſtentur.

Manſuetudo, nam ſi charitatis legem ſpectemus, quę benigna eſt, omnia quæcunque ad manſuetudinem, lenitatẽ aliaque id generis uirtutis pertinent officia colere, ea lege præſcribi intelligemus.

Remiſsio iniuriarum, pleniſsimum enim charitatis officiũ illud eſt, ut iniurias, quas accepimus, æquo animo remittamus, atque condonemus.

NON MOECHABERIS.

VIS huius præcepti duplex eſt.

Altera, qua diſertis uerbis uetatur adulterium, quod eſt legitimi thori iniuria, ſiue alienus, ſiue proprius ille ſit. &

Omne impuritatis, & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus. quam ſententiã, non tantum ex D. Ambroſii, & Beati Auguſtini ſcriptis, ſed ex ſacris litteris, tum ueteris, tum noui teſtamenti licet cognoſcere.

Immo uerò omnem intimam animi libidinem, hoc præcepto uetitam eſſe, tum ipſius legis uis ſignificat, tum Chriſtus dominus docuit.

Altera, quæ eam ſententiam incluſam habet, ut animi, corporiſque caſtitatem colamus.

Denique ad libidinis uim opprimendam maximè ualent. Frequens confeſsionis, & euchariſtiæ uſus. Aſsiduæ, ac piæ quidem pręces cum eleemoſinis, atque ieiunio coniunctæ. Vigiliæ item ac pie peregrinationes, atque alia afflictionum genera, quibus corpus eſt exercendum, ſenſuumque appetitiones reprimendæ.

Et



Et ſic nominatim hoc præcepto uetatur adulterium, implicitè etiam omnis illicitus concubitus extra matrimonium, & omnis illicitus, & inordinatus, ſiue innaturalis uſus, uel contactus membrorum, qui fit ad procurationẽ, & cauſa experiendæ ueneręæ delectationis.

NON FVRTVM FACIES.

HOC enim præceptum exigit, ut in omni negotio, ſeu cõmercio inuiolata ſeruetur ęquitas, & proximi utilitas, ſicubi ſeſe offerat occaſio, promoueatur, aliter erit furtũ.

Quod non id modo intelligitur, cum occultè ab inuito domino aliquid aufertur.

Sed etiam cum aliquid alienum contra uoluntatem ſcientis domini poſsidetur.

Quorum furtorum tam multa ſunt genera, ut ea dinumerare ſit difficillimum, ſed in hoc, & de rapinis, & differentia inter furtum, rapinam, peculatus, plagiatus, ſacrilegium uidere eſt largiſsimè ex catechiſmo Trid.

Vnum eſt, quod in hoc præcepto prohibetur omnis rei alienæ illicita contrectatio, & uſurpatio, ſicut per furtum, rapinas, uſuras, lucra iniuſta dolum malum, & quoſuis cõtractus, quibus chriſtiana charitas læditur, ac proximus circumuenitur.

Et nunquàm peccatum remittetur, niſi reſtituatur ablatũ. Hac autem reſtitutionis lege tenetur non is ſolum, qui furtum fecit, ſed omnes præterea, qui furti quo uis modo participes fuerint.

TESTIS INIQVVS.

IN hoc præcepto duæ ſunt leges.

{ Vna prohibens, }<br>
{ Altera iubens, }

Prohibens qua prohibetur { Falſum teſtimonium,<br>
Deteſtabilis libido<br>
Mendacium.

Falſum teſtimonium, illud præcipuè, quod in iudicio falsò

X dicitur

dicitur a iurato. Deinde omne teſtimonium, non modo in iudicio, ſed etiam extra iudicium, quod alteri incommodum aut detrimentum poſsit afferre. Leuit. 19.

Deteſtabilis libido, & conſuetudo detrahēdi alteri, in hoc genere ſunt, qui ſuis artificiis diſtrahunt hoīes, & inter ſe cōmittunt, magnopereq; ſerendis diſcordiis delectātur.

Mendaciū quo fugiendū eſt, immo oē mendaciorū genus, ſed illud in primis, quo graui damno quiſq; affici poſsit, & ſic de omnibus mendaciis contumelioſis, & libellis.

Præterea etiam ioco, uel officii cauſa fallere mendacio, & ſi nemo in illo, uel damnum, uel lucrum fecerit, tamen indignum omnino eſt, nam ex iocoſis mēdaciis capiunt homines mentiendi conſuetudinem, unde ueniunt in opinionem, non eſſe ueraces.

Iubens lex eſt, ut ſimulatione, fallaciiſque ſublatis, dicta, & facta noſtra, ſimplici ueritate metiamur. Cuius officii Apoſt. Eph. illis uerbis admonuit, ueritatem faciētes in charitate creſcamus, in illo per omnia ad Eph. 4.

Denique omne falſum, doloſumve teſtimonium in quemquàm proferre prohibemur, & quoquo modo proximi cauſam, in iudicio ſubuertere, uel etiam extra iudicium famam illius lædere, ut ſanè fit a ſuſurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus.

Breuiter omne mendacium, & omnis linguæ contra proximum abuſus hic excluditur.

Inſtruuntur hoc præcepto, Iudices, Teſtes, Patroni cauſarum, & Aduocati, & Accuſatores, quod non ſolū falſum teſtimoniū afferant, ſed ut uerum etiā dici imperantur.

Primum IVDICES.

Vt iuſtè, & ex legibus forenſia iudicia exerceantur.

Neve occupent homines, & uſurpent iudicia.

Ne re, & cauſa incognita ſententiam ferant.

Ne condemnent innocentes, aut abſoluant nocentes.

Ne precio, aut gratia, aut odio, aut amore moueantur.

TE-



TESTES.

Qui licet extra iudicium poſsint interdum uerum tacere,

In iudicio tamen, ubi legitimè interrogantur a iudice, uera omnino patefacienda ſunt.

Idque tam pro Reis, quàm pro Actoribus.

PATRONI cauſarum, & aduocati.

Vt patrocinio ſuo, nō deſint neceſſariis hominum temporibus, & egentibus benignè ſubueniant.

Ne iniuſtas cauſas defendendas ſuſcipiant, neque calumnia lites protrahant, nec alant auaritia.

Quod ad mercedem attinet laboris, & operæ ſuæ, illa iure, & æquo animo metiantur.

PETITORES uerò, & Accuſatores, monendi ſunt, ne cuiquàm, amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti periculum iniquis criminationibus creent.

NON CONCVPISCES VXOREM PR. TVI.

DIFFERT iſtud mandatum a ſexto, quia ibi prohibetur omnis illicitus uſus carnis, Hic uerò cōcupiſcentia eiuſdem etiam ſi actus nō ſequatur, ut intelligat homo tam offendi Deum affectibus internis, quàm factis externis. Matth. 5.

Omnis, qui uiderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

Et ſic uetitum eſt in ſexto opus carnale, & uoluntas, ex qua exterius oritur libidinis opus.

Et ne quis putaret plenū, & perfectū deſideriū rei venereæ non eſſe peccatū, niſi in actionē exteriorē prorumperet.

Iccirco in hoc nono uetatur nominatim alienæ Vxoris cōcupiſcētia. Implicitè etiā oīa illicita deſideria carnalia.

NON CONCVPISCES REM PROXIMI TVI.

QVOD differt à ſeptimo mandato, in eo quod hic prohibetur animus. i. affectio praua rerum alienarum.

Ibi uerò manus, hoc eſt ipſa externa ſurreptio, uel rapina uel detentio rei alienæ.

X 2 Exi-

Exigit enim utrumque hoc præceptum, nonum & decimũ cordis ſinceritatem, & beneuolentiam, erga omnes, integram, ut quæ in rem, & ſalutē proximi ſunt, optemus ex animo, neque cupiditati unquàm cum leui etiam alterius iniuria conſentiamus.

Non concupiſces ergo, nec uxorem, nec rem proximi tui.

Concupiſcentiam enim ſciendum eſt eſſe commotionem quandam, ac uim animi, qua impulſi homines, quas nō habent res iucundas appetunt.

Et triplex eſt. { Naturalis, Spiritualis, & Carnis.

Naturalis, hoc eſt recta concupiſcendi uis, quæ Deo auctore a natura nobis inſita eſt, ut appetitus comedendi, bibendi, caleſcendi, &c. Quæ ſi moderata eſt, & ſuis finibus contineatur, multoties bona præbet.

Spiritualis; qua ad eorum appetitionē incitamur, quæ carni repugnant; Hæc uſque adeò non eſt prohibita, ut ad eam ſacræ nos litteræ adhortentur.

Concupiſcite ſermones meos. Sap. 6.

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me. Eccleſ. 24.

Carnis poſtremo, illi ſcilicet concupiſcendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo conſtitutis continentur.

Hæc enim damnata eſt, uel quia malum appetit, uelut adulteria, ebrietates, homicidia, & alia eiuſmodi ſcelera, uel & ſi res natura ſua malæ non ſint, cauſa tamen aliunde extat, quare illas concupiſcere nefas ſit.

Vel ob eam cauſam hæc cupiditas uicioſa eſt, quoniā quæ appetuntur, aliena ſunt, ut domus, ſeruus, ancilla, ager, vxor, bos, aſinus, & alia multa, quæ cum aliena ſint, ea concupiſcere uetat diuina lex.

Duorum ergo horum præceptorum animaduertendum eſt hac lege uetitum eſſe nobis.

Prio-



Priore quidē, ne diuitias auide expectemus, neque alienis opibus, potētiæ nobilitatis inuideamus: ſed ſtatu noſtro qualis, qualis ille ſit, ſiue humilis, ſiue excelſus cōtenti ſimus, & non ſolū, quæ magna ſunt, ut domū nobilitatē, & gloriam concupiſcere nobis non licere, ſed etiam parua qualia qualia illa ſint, ſiue animata, ſiue inanimata.

Poſtrema uerò, ne alienam concupiſcamus vxorem, qua lege concupiſcendi libido prohibita cenſetur.

Non quidē ea tantum, qua adulter alterius vxorē appetit.

Sed enim qua affectus aliquis, alterius vxorem in matrimonium ducere concupiſcit.

Atque hoc idem de iis mulieribus dicitur, quæ alteri deſponſatæ ſunt.

Sicque ad Dei cultum, religionemque eſt conſecrata, nullo pacto licet illam vxorem appetere.

Ad tollendum hoc cupiditatis, uel concupiſcentię uitium, ratio hęc eſt, & in hoc conſiſtit.

Vt ſi diuitię affluant, cor non apponamus, easque pietatis, & diuinarū rerū ſtudio abiicere parati ſimus, & in ſubleuandas pauperum miſerias libēter pecunias erogemus.

Vt ſi deſint facultates, ęgeſtatem ęquo animo, & hilari feramus, & quidem ſi rebus noſtris dandis liberalitate utemur, rerum alienarum cupiditates reſtringemus.

Vt ardēti ſtudio, ſummaq; cupiditate optemus id potiſſimū effici, nō quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus uult.

## EX ORATIONE DOMINICA.

Quoniam ex nobis metipſis nihil ſumus, nihil habemus, nihil poſſumus, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt, preterea non eſt homo qui uiuat ſuper terram, & non peccet, itaque ſummopere nobis enitendum eſt, ut laudibus diuinis, gratiarum inſuper actionibus, orationibus, obſecrationibus, poſtulationibus denique, & ſacrificiis propenſum reddamus in nos numen diuinū, ſubinde etiam placemus iratum.

Pro-

Propterea ob ipſam potiſsimum cauſam tam ſedulo hortã tur nos ſaluator ad orationem partim doctrina, dicens oportet ſemper orare. Luc. 18. partim exemplo, dicente euangelio. Luc. 6. Erat enim pernoctãs in oratione Dei.

Potiſsimum enim quiſquis pręcari debet orationẽ dominicam, cuius initium eſt.

PATER NOSTER, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c.

In qua oratione ſeptem petitiones proponuntur, ad quas referri omnes omnium orationum ſpecies, & formę debent; ſiue pro expetendis bonis, ſiue pro delendis peccatis, ſiue auuertendis malis diuinam opem imploramus in prioribus tribus petitionibus. Quę ſunt,

I. Sanctificetur nomen tuum.

II. Adueniat regnum tuum.

III. Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

Aeterna poſcuntur

In reliquis quatuor, quę ſunt.

IIII. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

V. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

VI. Et ne nos inducas in tentationem.

VII. Sed libera nos a malo. poſcũtur etiã tẽporalia, q̃ tamẽ propter ęterna conſequenda ſunt nobis neceſſaria.

Orationis ergo pręceptũ neceſſarii iuſsi uim habet. Oportet enim ſemper orare. Luc. 18.

Cuius neceſsitas utilitatem ex ſe fructus uberrimos edentem habet.

Primus eſt is, quod orantes Deo honorem habemus.

Fructus ampliſsimus, & iocundiſsimus orationis ſequitur, cum a Deo preces audiuntur.

Eſt enim cęli clauis oratio. Nam aſcendit (inquit Auguſtinus) pręcatio, & deſcendit Dei miſeratio, licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguã.

Acce-



Accedit eò etiam ille fructus, quod orãdo animi uirtutes & exercemus, & augemus, maximè uerò fidem.

Irę diuinę pręterea reſiſtit oratio, Deum lenitiratum, ac etiam paratum ad plagas ſceleratis inferendas ęquè retardat, & a furore reuocat.

Partes orationis duę ſunt, pręcipuè { Poſtulatio, Gratiarum actio.

Quas ipſe Deus pronunciauit ore Dauidis dicentis.

Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Pſal. 49.

Facienda eſt pro Viuis, & pro Mortuis.

Pro Viuis. in Genere, & in Specie.

IN Genere, pro omnibus ſine ulla exceptione, uel inimicitiarum, uel gentis, uel religionis, nam ſiue hoſtis ſit, ſiue alienus, ſiue infidelis proximus eſt; quem quia iuſſu Dei amare debemus, ſequitur ut preces quoque, quod amoris officium eſt, pro eo facere oporteat. 1. Timot. 2.

1 IN ſpecie primo pro paſtoribus animarum, ut eis Deus aperiat oſtium ſermonis.

2 Secundo pro principibus, ut tales ſint quales eſſe oportet, qui reliquis hominibus pręſint.

3 Tertio pro perſequentibus, & calumniantibus nos.

4 Poſtremò pręces, & uota ſunt facienda, pro

Infidelibus, & Idolorum cultoribus, ut eis donetur fides, & ab impietatis errore liberentur.

Iudęis, ut diſcuſſa animorum caligine lucem ueritatis accipiant.

Hęreticis, ut redeuntes ad ſanitatem catholicæ doctrinæ præceptis erudiantur.

Schiſmaticis, ut cum ſanctiſsimæ parentis eccleſiæ communione, iterum ueræ caritatis nodo iuncti copulentur.

Pro mortuis, ut ab igne purgatorii liberentur, quæ preces ex Apoſtolorum doctrina fluxerunt, ut iam ſupra de ſacrificio Miſſæ dictum fuit.

In

In Oratione, Deus, & ſancti pręcantur.

Primo loco Deum orandum, & eius nomen inuocandum eſſe, ipſa loquitur naturæ, uis quę hominum inſita eſt mentibus.

Deum itaq; primum pręcamur, ut ipſe, uel bona det, uel a malis liberet.

Secundo loco ad auxilia ſanctorum confugimus, qui in cœlo ſunt. Ipſos namq; quia gratioſi ſunt apud Deum petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, & ut nobis a Deo imperent ea, quorum indigemus.

Nos itaq; Deum orantes, ſi tum maxime, & fide, & ſpe uigentes erimus, omnia a Deo optata conſequemur, cum ad ipſius Dei legem, ac uoluntatem, omnem mentem, actionem, & orationem noſtram conformabimus.

In oratione requiritur Aſſiduitas, quę quantam uim habeat, iudicis illius exemplo, Dei filius oſtendit, qui cum nec timeret Deum, nec hominem uereretur, uictus aſſiduitate ac diligentia uiduæ, eius poſtulationi conceſſit. Luc. 18.

In oratione prohibetur multiloquium, a quo nos dehortatur Chriſtus. Orantes (inquit) nolite multum loqui, ſicut Ethinici faciunt: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Matth. 6.

Ad orationem adhibere debemus Ieiunium, quod certe maxime eſt cum oratione ſociatum, nam qui cibo, & Potu ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt, ut neq; Deum intueri nec quid ſibi uelit oratio cogitare poſſint.

Eleemoſinam, quę magnam, & ipſa cum oratione ſocietatem habet.

Gratiarum actionem, idq; Apoſtolorum exemplo, qui hãc conſuetudinem perpetuo ſeruauerunt.

## PATER NOSTER.

IN iſta prima parte non eſt petitio aliqua ſed ad captandam beneuolentiam pręfatio, qua Deum in nos propenſum reddere cupimus.



PATER dicendo, ut ſub iſto ſtatim orationis exordio inardeſcat affectus (ſolet enim concutere uiſcera, uel ſola paterni nominis appellatio) fiatque auctior exorandi fiducia, paterni ſiquidem pectoris eſt, nihil negare filio, eo quod filius eſt aliquid patris.

O chriſtianæ curandum igitur, cum has præces facturus es; memineris te tamquàm filium ad patrem Deum accedere. Itaque cum præcationem ordiris, & illud Pater noster pronuncias, cogita, quem in locum te ſumma Dei benignitas extulerit, qui non ut ſeruum ad dominũ adire inuitum, ac timidum, ſed ut ad patrem filium uoluntarium, ſecurumque confugere iuſſerit.

Qua memoria, & cogitatione, quo uiciſſim ſtudio, & pietate tibi orandum ſit, conſideres danda eſt tibi, te ut talem præbeas, qualem eſſe decet Dei filium, id eſt ut oratio, & actiones tuæ non indignè ſint diuino genere, quo te dignari uoluit beneficentiſsimus Deus.

Quæ ſurſũ ſunt ſapite, & querite, nõ quæ ſup terrã. Coloſ. 3.

Ex quo intelligendum, quod omnis noſtra poſtulatio, quæ ad huius uitæ uſum, ac neceſsitatem pertinet, niſi cũ cœleſtibus ſit coniuncta bonis, & ad illum finem dirigatur, inanis eſt, & indigna chriſtiano.

## QVI ES IN COELIS.

Quiſquis enim oraturus, meminerit, mentem, animumque eſſe referendum ad cœlum.

Quæ uerba ſic ſunt intelligenda, & accipienda, & ſi præſens adſit Deus in locis, & rebus omnibus, nullis terminis definitus, tamen in ſcripturis diuinis, ſæpe dicitur habere domicilium ſuum in cœlo, quod ideo factũ uidemus, quod cœli, quos ſuſpicimus, ſunt nobiliſsima mũdi pars, iidemque manent incorrupti, præſtantes ui, magnitudine, ac pulchritudine cæteris corporibus, certiſque ac ſtabilibus motibus prædit.

PRIMA PETITIO, SANCTIF. NOMEN TVVM.

DE qualibet ſanctificatione,& nomine,ſub quo innoteſcit, coliturque diuina maieſtas,intelligitur.

Sanctum uerò dicitur,non ſolum purum,& impollutum,uerum etiam inuiolatum, atque uenerandum; itaque ſanctificatur nomen Dei quoties corde, ore, plenaque confeſſione colitur a nobis, & glorificatur; ut nomen talis, tamque eminentis maieſtatis.

Et ideo cum petimns,ut ſanctificetur nomen Dei, id ſentimus,ut augeatur ſanctitas,& gloria diuini nominis.Porrò ut ueriſſimū illud eſt diuinū nomen per ſe ſanctificatione non egere,cum ſanctum,& terribile ſit. pſal. 110.

ADVENIAT REGNVM TVVM. SECVN. PET.

Regnum Dei,ex Apoſtoli ſentētia iuſtitia eſt, inquit.n. Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto, ad Rom.14. Id autem regnum iuſtitia dicitur, quia Chriſti domini iuſtitia conſtitutum eſt.

Hic igitur eſt ſenſus.

Regnum tuū,o Pater cœleſtis,hoc eſt tua guberuatio, tuaq; domini poteſtas,qua diuinæ moderaris populū tibi ſubiectum Adueniat huc ad nos, ut reuera nos hic in terris tuum poſſimus dici regnum,ſicut uniuerſitas diuorū eſt, diciturq; tuum unius regnum in cęlis, utque tu Deus pater regnes hic in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, non autem regnet in nobis ſpiritus malignus, aut error, aut concupiſcentia,aut peccatum,qualia dominantur latè potiſſimum in infidelibus, deinde in hæreticis, tertio in peruerſis chriſtianis.

In hac petitione a Deo petimus.

Vt regnum Chriſti, quod eſt eccleſia, propagetur.

Vt ſe ad fidem Chriſti domini, & ad accipiendam ueri Dei cognitionē cōuertant infideles, & Iudæi, & ſchiſmatici.

Ac ut hæretici redeant ad ſanitatem,& ad eccleſiæ Dei cōmunionem,a qua deſciuerunt, reuertantur, ut compleatur,



tur,& ad exitum perducatur, quod Iſaię ore dixit dominus. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende,&c.

Petimus deniq; ut ſolus in nobis uiuat, ſolus regnet Deus, ne ſit poſt hac morti locus, ſed ut illa abſorbeatur in uictoria Chriſti domini noſtri, qui diſiecto, ac diſſipato omni hoſtium principatu, poteſtate, & uirtute, ſuo omnia ſubiiciat imperio.

Plena ergo erit noſtra chriſtianæ humilitatis oratio,& omnino nobis ipſi diffidentes, illius more publicari confugiemus in Dei miſericordiā,totūq; eius benignitati tribuētes, ipſi gratias agemus immortales, qui nobis ſuum ſpiritū ſit elargitus,quo freti clamare audeam⁹ Abba Pr̄.

FIAT VOLVNTAS TVA. TERTIA PETITIO.

Quicunque in illud cœleſte regnum peruenire cupiunt,id a Deo petere debent,ut fiat uoluntas eius, quamobrē hæc petitio poſita eſt ſtatim poſt regni cœleſtis poſtulationē.

In hac itaque petitione petimus,ut ſicut in cœlo Angeli,& beati omnes,ita nos quoque in terris, quàmuis fragiles, exactā Deo præſtemus obedientiā, nihil habentes prius quàm ut diuinæ uoluntati ſubiiciamus, & cōformemur per omnia,ſiue in proſperis,ſiue in aduerſis.

Cū illud.n.(fiat uolūtas tua)ꝑcamur, deteſtamur opera carnis,q̄ ſunt,Fornicatio,Immūditia,Luxuria,&c.ad Gal.5.

Petimusque ne ſinat Deus ea nos perficere,quæ ſenſus,quę cupiditas, quæ imbecillitas noſtra ſuaſerit, ſed ut noſtrā uoluntatem,ſua uoluntate moderetur,& ut facultatē nobis concedat obtemperandi diuinis iuſſis,& inſeruiendi ei in ſanctitate,& iuſtitia omnibus diebus noſtris.

QVAR. PET. PANEM NOSTRVM QVOT.

HAEC uox panis, ſimul myſticè ſignificat omne illud, qđ alit, uegetatque ſpiritum noſtrum in opere bono, uti faciunt uerbum Dei,dona gratiarum, ſacramēta eccleſiæ, potiſſimum aūt ſacroſancta euchariſtia ſub ſpecie panis.

Y 2 Panem

Panem ergo petimus { & Corporalem, & Spiritualem. }

Corporalem, quo uocabulo non abundantem, & exquiſitã ciborum, ac ueſtium copiam, ſed neceſſariam, ac ſimplicem intelligere debemus, ut patris nomine quod ſatis ſit, & ueſtium ad tegendum, & cibi ad ueſcendum, ſiue patris is ſit, ſiue caro, ſiue piſcis, ſiue quodcunque aliud intelligamus.

Spirituale͂, quo ſignificantur omnia quæcunque in hac uita ad ſpiritus, & animę ſalute͂, & incolumitate͂ requiruntur.

Verbum enim Dei cibus eſt animæ. Prou. 6. Venite comedite panem meum, & bibite uinum, quod miſcui uobis.

Ieſus quoque Chriſtus dominus panis eſt, & animæ cibus, qui in ſacramento euchariſtiæ ſubſtantialiter cõtinetur.

DA NOBIS HODIE.

Petimus ergo, o pater, ſaltem eam diuini uerbi annunciationem, easque ſpiritus ſancti gratias, ſine quibus non recte uiuitur. Da nobis hodie, hoceſt in hac uitæ iſtius peregrinatione, in qua ſine gratia tua nemo non erat, nemo non miſere petit; da quoque illum, qui corporibus noſtris alendis quotidie eſt neceſſarius.

Præcamur itaque ut det nobis, non mihi, tum quia propriũ illud eſt chriſtianæ charitatis, non ut quiſquam de ſe uno ſit ſolicitus, ſed ut præterea de proximo laboret, & in cura ſuæ utilitatis, meminerit etiam aliorum.

Tum quia quæ alicui munera diuinitus tribuuntur, non iccirco tribuuntur, ut ſolus is, & poſsideat, uel in aliis luxurioſè uiuat, ſed ut cum aliis communicet, quæ neceſſitati ſuperfuerint.

Hæc uox hodie, habet illam neceſſariam rationem, quia quotidiano pane egemus omnes, quotidie etiam dominica oratione ſingulis utendum eſſe.

MONITIO AD DIVITES.

IN tractatione huius petitionis illud erit, ut meminerint diui-



diuites, facultates ſuas, & copias Deo acceptum referre, cogitentque ſe iccirco illis bonis eſſe cumulatos, ut illa diſtribuant indigentibus.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. S. E. N. D. D. NOSTRIS.

PRECAMVR in hac petitione, a lacu peccati, quo nihil fœdius, nihil animæ peſtilentius clementer expurgari, & ea ipſa, quæ peccando contraximus, debita relaxari.

Et ad hoc impetrãdum, neceſſe eſt primum, ut is qui ad hoc petendum uult accedere, ſuum ipſe peccatum agnoſcat. Facile aute͂ adducemur, ut peccatũ noſtrũ agnoſcamus, ſi ipſum audierimus Deum admonentem, & dicentem.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum pſal. 13. 52. Salomon quoque. Eccl. 7. Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Et dimitte nobis dicit, & non mihi, eo quia fraterna neceſsitudo, & charitas, quæ inter omnes homines intercedit, a nobis ſingulis poſtulat, ut de communi proximorum ſalute ſoliciti, cum pro nobis præces facimus, pro illis etiam depræcemur.

DEBITA noſtra, quod longe aliter, atque panem noſtrum dicimus. Noſter enim ille eſt panis, quia nobis Dei munere tribuitur, at peccata noſtra ſunt, quia illorum culpa reſidet in nobis, nam noſtra uoluntate ſuſcipiuntur, quæ peccati uim non haberent, niſi eſſent uoluntaria.

Vt enim præcatio omnino fructuoſa ſit, hæc in ea ſit cura, meditatioque adhibenda.

Primum nos Deo ſupplices eſſe, & ab eo ueniam petere, quæ non datur, niſi pęnitenti, itaque nos ea charitate, & pietate præditos eſſe oportere, quæ pęnitentibus conueniat, conuenire autem maximè iis ſubiecta quaſi oculis, propria flagitia, atque facinora lachrymis expiare.

Additque ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ut

ut tales ſimus erga proximos noſtros qualem Deum eſſe cupimus erga nos metipſos.

Subdit enim Saluator. Luc. 6. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis pater ueſter cœleſtis delicta ueſtra, ſi autem nõ remiſeritis hominibus, nec pater ueſter remittet uobis peccata ueſtra.

NORMA.

Quicunque cupit in ſe eſſe maximè miſericordem Deum, is ipſi Deo ſuas donet inimicitias, remittatque omnẽ offenſionem, & pro hoſtibus libentiſsimè deprecetur, omnem captans occaſionem, de illis ipſis benè promerendi, nihil enim iniuſtius eſt; aut fingi poteſt, quàm is, qui cum hominibus durus ſit, ut nemini ſe det ad lenitatem, idem poſtulet, ut in ſe ſit mitis, & benignus Deus.

ET NE NOS INDVCAS IN TENT. SEX. PET.

TENTATIONVM duo ſunt genera.

Alterũ quod probat. Quo Deus tentauit Abraam, Iob, Tobiam, ut eos illuſtres faceret in ſpeculum aliorum.

Alterum, quod ſeducit, & ſtudio anuertendi hominẽ a Deo infertur: Quomodo tentat mundus, caro, & Sathanas. Tentant ſeductores homines, dum ad peccandum pellicere conantur.

Cum tentationibus ſuccumbimus; tunc in tentationem dicimur induci.

Inducimur uerò in tentationem hoc modo

Primum, cum de ſtatu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem a Deo hoc modo in tẽtationem inducitur; quia nemini eſt peccati auctor Deus, immo uerò odit omnes, qui operantur iniquitatem. Pſal. 5.

Deinde dicitur nos in tentationem inducere is, qui, & ſi nõ tentat ipſe, neque operam dat, quo tẽtemur, tentare tamẽ dicitur, quia cum poſsit prohibere, ne id accidat, aut ne tentationibus ſuperemur non impedit, Hoc modo Deus bonos, & pios tentari quidem ſinit, ueruntamen ſua gratia ſuſtentatos non deſerit.



In hac.n. præcatione, nõ id petimus, ne omnino tentemur. Eſt enim hominum uita tentatio ſuper terram.

Sed petimus, ne diuino præſidio deſerti tentationibus, uel decepti aſſentiamur, uel cedamus afflicti; ut præſto ſit nobis Dei gratia, quæ cum defecerint nos propriæ uires, in malis recreet, ac reficiat.

Petimus denique, ut Sathanã conterat ſub pedibus noſtris. Vincit enim ipſe Sathanas.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Non | Ocio, | ſed | Oratione, |
| | Somno, | | Labore, |
| | Vino, | | Vigilia, |
| | Comeſſatione, | | Abſtinentia, |
| | Libidine. | | Continentia, |
| | | | Caſtitate. |

Ait.n. uigilate, & orate, ne intretis in tentationẽ. Matth. 26.

Demum, quia præſens hæc uita perinde ac militia eſt ſuper terram, dum uariis tentationibus ſemper impugnamur a mundo, carne, & ſathana, iccirco pie ſoliciti diuinam imploramus opem, non modo, ne ſuccumbamus hiſce aduerſariis, atque ſuccumbendo damnemur, ſed etiam ut ſathanæ reſiſtamus fortiter, contemnamus mundum, caſtigemus carnem, atque ita demum coronemur ut inuicti milites Chriſti.

SED LIBERA NOS A MALO. SEPTIMA PET.

IN hac ultima petitione, Deum precamur a peccato liberati, a tentationis etiam periculo ab intimis, externiſque malis eripiamur. Vt tuti ſimus ab aqua, ab igne, a fulgure, ne grando noceat frugibus, ne amore charitate ſeditionibus bello laboremus.

Adeo petimus, ut morbos, peſtem, uaſtitatem arceat, uincula, carcerem, exilium, proditiones, inſidias, cæteraq; omnia prohibeat incommoda, quibus maximè terreri, ac premi

premi ſolet hominum uita; omnes denique flagitiorum & facinorum cauſas auertat.

Ne morte opprimamur repentina, ne in nos iram Dei cōcitemus, nec quæ impios manet, ſupplicia ſubeamus: Ne igne purgatorii torq eamur, a quo ut alii liberentur pie & ſanctè præcamur.

A malis enim homines liberat Deus, cum illos in ſummum diſcrimen adductos, integros ſeruat, & incolumes: quod & pueris illis in ardentem fornacem eoniectis, & Danieli contigiſſe legimus, quē Leones nihil læſerunt, quemadmodum, neq; pueros flamma uiolauit. Daniel 3. & 6.

O Chriſtiani ſciendum eſt denique ſi in præcibus, & uotis, non liberamur a malis, debere nos quæ præmant, ferre patientes, intelligentes, placere diuino numini, ut toleranter, & patiamur. Quare minimè nos indignari, aut dolere par eſt, quo ad præces noſtras, non audiat Deus, ſed omnia ad eius nutum, ac uoluntatem referre oportet, exiſtimantes id utile, id eſſe ſalutare, quod Deo placet, ut ita ſit, non autem id, quod ſecus nobis uideatur.

QVARE qui ſe confert ad ſacras præces, fide, ſpeque munitus, parentem adeat Deum, ut ſe id conſequi poſſe, quod ei opus ſit nullo modo diffidat. AMEN.

Et ſic oratio dominica petitiones continet ſeptem.

Prima ſpectat ad Deum, huic impendi petimus laudem, honorem, & reuerentiam in toto orbe cum dicimus.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

Sex aliæ ſpectant ad nos, quibus præcamur bona.

{ Summa, Media, Infima. }

Summa, ut uitam æternam dicendo.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Media, ut gratiam, qua ſeruemus mandata dicendo.

FIAT VOLVNTAS TVA, ſicut in cœlo & in terra.

Infima,



Infima ut corporis, ut uictum, dicendo.

PANEM NOSTRVM quotidianum da nobis hodie.

Aut deprecantur mala { Summa, Media, Infima. }

Summa, peccata, dicendo.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Media, peccandi occaſiones, ut tentationes trium hoſtium his uerbis dicendo.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

Infima, afflictiones tū animi, tū corporis, his uerbis dicēdo.

SED LIBERA NOS A MALO.

EX TABVLIS, ET TABVLARVM LEGIBVS.

Tabulæ legis antiquæ duæ fuerunt, quarum

Prior illa potiſsimum continebat præcepta, quibus inſtruitur homo chriſtianus, qualē ſe erga Deum exhibere debeat, & iſtius primæ tabulæ

TRIA ſunt præcepta.

Primum de uero unius Dei cultu, in quo quædā præcipiuntur, & quædam iubentur.

Præcipiuntur primo uirtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas. FIDES eſt indubitatus aſſenſus, quo mēs firmiſsimè inhæret uerbo diuino, cuius partes ſunt duæ.

Fides informis, eſt ſine charitate, & in chriſtiano, qui eſt in peccato mortali, &

Fides formata eſt cum charitate cōiuncta; Charitas.n.oīum uirtutum forma eſt, non quidē intrinſeca, ſed extrinſeca.

Actus itidē cuius fidei ſunt duo, interior, & exterior, nā corde creditur ad iuſtitiā, ore autē fit confeſsio ad ſalutem.

SPES, quæ eſt certa expectatio æternorum bonorū, ex promiſsione euangelica.

Et ſi reſpiciamus rem creditam, ex meritis prouenientem, ea Spes eſt triplex.

Veniæ primo, ut in pſal. 30. In te domine ſperaui, non confundar in æternum, & gratiæ ut in pſal. 31. Sperantes autem in domino miſericordia circundabit. & gloriæ, ut prouerb. 8. Qui ſperat in Deo, ſaluabitur.

CHARITAS, quæ eſt ſyncera, beneque ordinata dilectio, qua Deus propter ſe, & ſuper omnia diligitur. Proximus uerò in Deo, uel propter Deum. & eſt finis præcepti de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

Et in charitate ordinem conſiderare debemus, qui ſecundum Auguſtinum eſt diligere

Primò quod ſupra nos eſt. i. Deum.

Deinde quod nos ſumus.

Poſt hoc, quod iuxta nos eſt. i. proximum.

Vltimo quod infra nos eſt, i. corpus, & noſtrum, & proximi.

Et effectus charitatis ſunt iſti, Gaudium ſpirituale, Pax, Miſericordia, Beneficentia, Eleemoſina, correctio fraterna.

Prohibentur poſtea his contraria, & primo fidei, infidelitas ſcilicet, cuius ſpecies, ſiue gradus ſunt. Titubatio, ſimplex diſcredentia, hæreſis perfecta, & apoſtaſia.

Blaſphemia poſtea prohibetur.

Tribuendo Deo, quod non conueniat.

Negando, quod ei conueniat.

Tribuendo creaturæ, quod ſoli conueniat Deo, & iniuriando ſanctis.

Secũdo ſpei cõtraria prohibẽtur, deſperatio, ſ. & pręſũptio.

Tertio charitati prohibentur contraria, odium uidelicet, accidia, inuidia, diſcordia, contentio, ſchiſma, bellum, duellum, rixæ, ſeditio, ſcandalum.

SECVNDVM præceptũ de iuris iurandi religione, ſiue de illicitis iurationibus, in quo iubemur Deo honorem tribuere. Et uetantur periurium, blaſphemia, uotum illicitum, uotorum fractio, incõſiderata diuini noĩs aſſũptio.

TERTIVM præceptum, quod eſt de Sabbatho, in quo mandatur ſanctificatio Sabbathi, & feſtorum ſecundũ uerba, &



& mentem legis & prohibentur Opus ſeruile, Obmiſſio cultus diuini, Irreuerentia ſacrorum, Ludi & ſimilia.

EX PRAECEPTIS SECVNDAE TABVLAE.

Secunda Tabula, in qua continentur officia hominis Chriſtiani erga proximum, ſunt Septem, quorũ primum eſt

QVARTVM pręceptũ de parẽtibus, & ſuperiorib. honorãdis, in quo præcipiuntur quædam, & quædam uetantur

Primò præcipitur nobis Parentum,

- Reuerentia eos amando.
- Obedientia eis morem gerendo.
- Subuentio eos conſolando, & iuuando. &

Vetatur nobis Ingratitudo, Irreuerentia, & Inobedientia,

Promittitur deniq; in hoc præcepto nobis Longitudo uitę in hac terra, & Gloriæ in futuro ſeculo.

QVINTVM de homicidiis, in quo prohibẽtur Homicidia, & implicite Omnia nocumenta, quibus animæ, aut corpori proximi nocere poſſimus. &

Iubentur, Concordia, Pax, Amicitia, Pacientia.

SEXTVM de illicito concubitu, in quo uetãtur, Adulteria, & omnia impuritatis genera. & pręcipiuntur plura, ſed principaliter, ut animę, & corporis caſtitatem ſeruemus.

SEPTIMVM de iniuſta poſſeſſione, & cõtrectatione rei alienæ, in quo uetantur furta, peculatus, plagiatus, ſacrilegium, rapinę, uſura, damnam, inuẽti retentio, contractus doloſus & Iubentur reſtitutio, ſatisfactio, & eleemoſina.

OCTAVVM de falſis teſtimoniis, in quo uetantur omnia mendacia, calumnia, deriſio, adulatio, & omnia peccata denique ad locutionem pertinentia, quibus proximo damnum infertur &

Pręcipitur ſimplicitas, & ueritas.

NONVM de uxore aliena non concupiſcenda, in quo nominatim

Prohibentur alienæ uxoris appetitio, & implicite omnia deſideria carnalia &

Iubentur,ut animā,& omnes oīno ſenſus habeamus puros.

DECIMVM de habendi cupiditate,in quo uetātnr nominatim interior illa uoluntatis concupiſcentia, & implicitè omnis illicita habendi cupiditas, &

Præcipitur poſtea, ut nō tantum manus liberas habeamus, ſed etiam animam innocentem.

Verbum Dei eſt, quod Deus loquitur ſpiritu ſuo diuino, ſiue per { Semetipſum, ſiue per | Interpoſitas perſonas. }

Per ſemetipſum, ut in principio orbis conditi ante legem fecit ad Adam,ad Noe,ad Abraam, ad Moyſem, ad Heliam, aliosque ſanctos Dei homines.

{ Nonnumquam forinſecus quaſi ore ad os. | Aliquando intrinſecus reuelans intus miſteria. }

Per interpoſitas perſonas, ut ſolet maieſtas Regum dans reſponſa per interpretes, quo quidem modo patefecit nobis Deus

Pleraque per profetas ſub tempore legis.

Præcipua autem per filium ſuum unigenitum Chriſtum.

Illiusque Apoſtolos,ut Paulus docet, ad Hęb.c.1.in princ.

Multa etiam per angelos ſuos diuerſo tempore ante, poſt, & ſub lege.

Verbumque Dei diuiditur in verbum { Scriptum,& | Non ſcriptum. }

Scriptum,cuius partes ſunt, Littera quæ occidit,& Spiritus qui uiuificat.2.Cor.3.

Non ſcriptum,quod conſtat { Traditione, & | Conſuetudine. }

Traditione.i.uiuę uocis miniſterio.Eſt enim traditio doctrina quædam uerbi diuini,per apoſtolicos uiros annunciata,& deinde iuxta ſeriem temporum ex animo in animū transfuſa medio intercurrēte uerbo, recepta populi cōſenſu,atque cōmuni uſu fideliū cōprobata, citra ſcriptū, uiua tantū mōdo uoce, & eadē ubiq; conſuetudine nota.

Con-



Conſuetudine, quæ & ipſa eſt duplex.

{ Vniuerſalis. | Particularis. }

Vniuerſalis omnium eccleſiarum, quam ſcriptæ legis uim habere demonſtratur.

{ & { Auctoritate, | Ratione. } }

Auctoritate Diui Pauli. 1.Cor.xi.Si quis autē uidetur contentioſus eſſe(inquit)nos talem conſuetudiuem non habcmus, neque eccleſia Dei.

Auctoritate etiam Auguſtini, epiſt. 118. quędam inquit tota per orbem frequentat eccleſia, quæ ſimiliter atque illa, quæ ſacræ ſcripturæ præſcribit auctoritas, obſeruanda ſunt.

Ratione; uis enim legis ex conſenſu reſultat.conſenſus autem non minor ineſt conſuetudini quàm legi ſcriptę.Nā conſuetudinem longus, & approbatus uſus inducit, quæ nullius impediente clamore, diuino magisquàm humano uidetur recepta conſilio.Pius Papa.

Particularis, quam non tota eccleſia obſeruat, ſed per loca terrarum,regionesque ad ędificationem fidei,& morum ſecundum ſingularum eccleſiarum ſpeciales conditiones introducta, & recepta uariatur, de quibus cenſet ipſe Auguſtinus ita dicens.

Totum hoc genus rerum liberas habet obſeruātias, Hac diſciplina nulla eſt, talis melior, graui, prudētique chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere uiderit eccleſiam, ad quamcunque fortè deuenerit, ne ipſe cuiquàm ſit offendiculo, aut alius quiſpiam ſibi. Franc. Sonn.libr. demonſt.1.c.2.q.& 10.

## CATHOLICAE FIDEI NORMA.

CREDENDA igitur ſunt quæcunque ad fidem pertinent catholicam.

In eorum uerò cognitionem ducet præcipuè notitia

Verbi

Verbi Dei,
Symboli Apoſtolorum,
Orationis Dominicæ
Sacramentorum, &
Sacrificiorum.

De quibus omnibus uidere eſt in hoc opuſculo.

DE QVINQVE VERBIS IN ECCLESIA.

Quinque.n.ſunt illa præcipuè,q̃ ſunt in eccleſia docēda.v3.
Credenda,agenda,uitanda,ſperanda, timenda.
Credenda ad Tit.3.hæc loquere, & exhortare,&c.
Agenda. Matt.ult.Euntes in mundũ,&c. Docētes eos ſeru.
Vitanda,ſcilicet peccata.Eccleſ.21.Quaſi a facie colubri fuge,&c.Eſa.58.Annuncia populo mea ſcelera,&c.
Speranda,ſcilicet merces æterna. 1.Pet.1.de qua ſalute exquiſierunt,&c.
Timenda, pœnę uidelicet æternæ. Matth.25. Ite maledicti in ignem æternum.
Quæ horum omniũ alia pertinent ad FIDEM, ut credenda. Alia pertinent, ad MORES. Reliqua, quatuor uidelicet.

ad virtutes, ut agenda,
ad vitia, ut vitanda,
ad gloriam, vt ſperanda,
ad pœnam, vt timenda.

DE SCRIPTVRIS VETERIS TESTAMENTI, quæ ſingulis anni temporibus in eccleſia Dei legi conſueuerunt.

Summa earum rerum,quas hoc tempore catholica cōtemplatur eccleſia,continetur in libris pręcipuè Moyſis.
Cum autem tempus diſpenſationis a Ianuario, uſque ad Ianium duret excluſiuè,ſinguli eius menſes ſingulis temporibus præteritis rectè poſſunt applicari.
Nam per menſem Ianuarium,in quo nouus annus inchoatur, illud tempus innuitur, in quo mundus a diluuio iterum renouatus eſt.

Fe-



Februarium, in quo Alleluia deponitur, illud tēpus innuitur, in quo uniuerſitas linguarum confunditur.
Martium,in quo plerumque celebratur Quadrag. illud tempus innuitur,ſub quo Dei populus in Aegypto affligitur.
Aprilem, in quo Paſchatis peraguntur ſolemnia,illud tempus innuitur,quando idem populus a Pharaonis tyrannide liberatur.
Maium, in quem feſtum incidit Pentecoſtes, illud tempus innuitur, ubi adhuc idem ille Dei populus in promiſſionis terra gratulabatur.

SCRIPTVRAE ITAQVE VETERIS TESTAMENTI,quæ in eccleſia tempore peregrinationis legi ſoleant.

Lectiones huius temporis, ſcilicet peregrinationis præſertim nocturnales ſua uarietate,ſuoque ordine ſeriem deſignant,temporum,uel profectuum ſanctę eccleſiæ.nam,
Iunius,& Iulius, quibus menſibus hiſtoria Regum legitur, Regum Saul, & Dauid commemorant.
Auguſtus,in quo Liber Sapientiæ recitatur,Regnum ſapientis Salomonis inſinuat.
Reliqui quatuor menſes,September, October, Nouember, December principalia denotant Regna, uidelicet.

Regnum Babylonicum, quod eſt in Oriente.
Regnum Perſarum, quod eſt in Meridie.
Regnum Græcorum, quod eſt in Aquilone.
Regnum Romanorum, quod eſt in Occidente.

Leguntur etenim mēſe Septembris per duas hebdomadas priores hiſtoriæ Iob. Quia regnũ illud durauit per duas annuales hebdomadas.i.per bis ſeptingētos annos. Tot enim anni numerantur a tempore Nini, a quo Regnum Babyloniæ incępit uſque ad Cyrum Regem Perſarum, in quo defecit.
In reliqua parte Septembris innuitur Regnum Perſarum, & duæ leguntur hiſtoriæ, eo quod nunc de Perſis, nunc de Medis Reges aſſumebantur.

Legun-

Leguntur poſtea in menſe Octobri hiſtoriæ Macabæorum, & Græcorum ſignificant Regnum, ſub quibus Macabęi fuerunt afflicti.

In menſe Nouembri, & Decembri pręterea, leguntur Profetę, in quibus Regnum repręſentatur Romanorũ, in quo Chriſti uiget religio. Profetię enim maximè loquuntur de Chriſto, cuius Natiuitas eſt in fine anni, ſicut Romanorum eſt in fine mundi. Ex Gulielmo Durand. libr. de officiis diuinis, ex Georgio quoque Edero.

EX OPERIBVS BONIS.

Iuſtitia chriſtiana, tam latè patet, ut omnia bona, quę honeſtè, iuſtè, ac piè fiunt, in ſe contineat, nobiſque expetenda, & conſectanda proponat. Porrò, & ſi ſint benefacta permulta, quę ex fide uiua proficiſcuntur, & iuſtitiã chriſtianam commendant, augent, atque conſumant,

Tria tamen ſunt, ad quę cętera ferè omnia ueluti ad fontes referri poterunt, uidelicet

Oratio, Ieiunium, & Eleemoſina.

ORATIO namque eſt pius noſtrę mẽtis in Deum affectus, quo petuntur fideliter, quęcunque ſunt nobis, aut aliis ſalutaria, quo diuinã quoque gratiã, & uirtutẽ celebramus.

Oratio ergo bonum opus, a chriſtiano eſt exercenda. Oratio enim humiliantis ſe nubes penetrabit.

IEIVNIVM poſtea, quod eſt triplex, magnum, & generale ieiunium, quod eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis uoluptatibus. Eccleſiaſticum eſt deinde ieiunium, ut potè cum iuxta certum eccleſię morem, atque pręſcriptum, certis diebus, & carnium eſum ſubtrahimus, & una dumtaxat refectione contenti ſumus. Tertium ieiunium, eſt parſimonia illa cibi, ac potus, moraliſque ſobrietas, qua temperatè uiuitur, & a quibuſdam uocatur ieiunium Philoſoficum.

Ieiunium ergo bonum opus a chriſtiano eſt exercendum, cnm diuina illa uox, quę per Ioelem ad peccatores clamat, doceat. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro, in ieiunio, fletu, & planctu.



Item ſanctificate ieiuniũ, uocate cætũ, congregate populũ.

ELEEMOSINA deniq;, quæ eſt beneficiũ, ſeu munus, quo alterius miſeria ex noſtro cõmiſerationis affectu ſubuenitur, quò ſpectat id, quod apud nos Thob. Rafael Angelus teſtatur. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſina, ut intelligamus, ſicut Cyprianus admonet, orationes nr̃as, ac ieiunia minus poſſe, niſi eleemoſinis adiuuẽtur.

Eleemoſina ergo bonum opus a chriſtiano eſt exercenda; cum illa Chriſti ſentẽtia ſit, quod ſupereſt date eleemoſinam, & ecce omnia munda ſunt uobis.

Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſinam.

Bonis ergo operibus, conſumatur fides noſtra.

Bonis operibus accreſcit iuſtitia noſtra.

Bonis operibus diuites efficimur coram Deo.

Bonis operibus armamur aduerſus hoſtes animæ.

Bonis operibus reddit Deus coronã iuſtitiæ, brauiũ ſupnæ uocationis, & mercedem copioſam in cœlis; deniq; pp Bona opera dat Deus uitam ęternam, & adiudicat Chriſtus electis ſuis regnum a Deo patre paratũ a cõſtitut. mũdi.

Bonis itaque operibus noſtris cõſequimur uberrimum fructum ſalutis, propter quod & ratio meriti eiſdem iuſtiſſimè tribuenda eſt.

ORATIO, IEIVNIVM, ELEEMOSINA.

Orante Moſe, & Samuele uincuntur a Iudæis, hoſtes Amalechitæ, atque Philiſtæi.

Orans Ieremias confortatur in carcere.

Orans Daniel, inter Leones exultat.

Orantes tres pueri in fornace tripudiant.

Orans de Cruce latro inuenit Paradiſum.

Suſanna p orationẽ inter ſenes falsò accuſantes defendit.

Orans Stephanus in cœlum ſuſcipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.

Elias ſimilis nobis paſsibilis oratione orauit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex, & rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

Ieiunium reddidit tres pueros formoſiores, & ſpecioſiores præ ceteris, qui regiæ menſæ cibis nutriebantur.

Ieiunium morbos ſanat.

Ieiunium diſtillationes exſiccat.

Ieiunium dæmones fugat.

Ieiunium prauas cogitationes expellit.

Ieiunium mentem clariorem reddit.

Ieiunium cor mundum efficit.

Ieiunium denique corpus ſanctificat, & ad Thronum Dei hominem ſiſtit.

Eleemoſinam date, & dabitur uobis.

Eleemoſina peccata redime tua, & iniquitates tuas, miſericordia pauperum.

Eleemoſina reſiſtit peccatis, ut ignē ardētē extinguit aqua.

Eleemoſina a morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgata peccata, & facit inuenire miſericordiam, & uitam æternam.

Ad hęc, Chriſtus ut oſtenderet nobis fructum, decoremque horum operum, ieiunauit ipſe quadraginta diebus, & totidem noctibus.

Et ſubinde erat pernoctans in oratione Dei.

Dedit quoque non ſolum bona externa in eleemoſinam, ſed etiam corpus ſuum, ac animam, & ſanguinem cordis, in redemptionem pro nobis.

## DE VIRTVTIBVS.

Virtutum aliæ uocantur { Infuſæ, aliæ<br>Acquiſitæ.

INFVSAE, quæ uirtute naturali acquiri non poſſunt, excedunt enim capacitatem naturalem; ſed a Deo infunduntur, & ordinant hominem in finem ſuper naturalem, cuius modi ſunt eæ, quæ uirtutes appellantur Theologicæ,



cæ, hoc eſt, quæ habēt Deū pro obiecto, & ſunt tres ve3.

Fides, Spes, Charitas.

Quarum prima eſt in intellectu, reliquæ duæ in uoluntate, maior autem horum eſt charitas.

ACQVISITAE, morales nimirum, quas D. Ambroſius, & alii patres uocant Cardinales, hoc eſt principales, non quidem inter infuſas, quia illæ excellunt ratione cauſæ, & finis, ſed inter morales, & acquiſitas, ſunt autem uirtutes Cardinales.

Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.

Quæ & ipſe ſi finem, ad quem tendunt, reſpiciamus ſupernaturalem, infuſæ dici ſolent. Viguer. in fine cap. tertii.

Et dicuntur hæ uirtutes Cardinales, quia ſicut oſtium uertitur in cardine, ſic in his uertitur, & regitur uita hominis.

Vel etiam dicuntur officiales, quoniam ab his ut Ambroſius annotauit, naſcuntur officiorum genera, cūctaq; communis uitæ officia ſecundū ſuā cuiusq; uocationē deriuātur.

PRVDENTIA, namque rectè iudicat de rebus, riteq; circumſpicit agenda. Eſtque uirtus, quæ ſecundum honeſti rationem, quid expetendum, quidue fugiendum ſit, homini præſcribit.

Et in quantum eſt virtus politica, triplex eſt.

Prima eſt CORDIS, & hæc uerſatur

{ in diſpoſitione præſentium.<br>in recogitatione præteritorum,<br>in prouiſione }

Deuter. 32. utinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſs. prouiderent.

Secunda eſt ORIS, & hæc uerſatur in moderatione uerborum. Io. Nam qui moderatur labia, prudentiſsimus eſt.

Tertia eſt OPERIS, & hæc conſiſtit

{ in fuga mali, &<br>in electione boni. pſal. 36. Declina a malo, inquit, & fac bonum.

IVSTITIA eſt uirtus, conſtansque ac perpetua uoluntas, ius ſuum cuique tribuens.

Et diuiditur in iuſtitiam { Particularem, & Generalem.

Generalem, quæ ad bonum pertinet publicum, & diuiditur in iuſtitiam legalem, hoc eſt in rigorem iuris, & in epicheiam hoc eſt in æquitatem.

Particularem, quę priuatum reſpicit commodum. & ſecatur in iuſtitiam diſtributiuam, quæ uerſatur circa præmia uirtutum, & pœnas uitiorum. & iuſtitiam commutatiuam, cuius actus ſunt emptio, venditio, & oẽs penè cõtractus.

FORTITVDO eſt uirtus, qua labores, mortisque pericula, conſtanter, & ſuſcipiũtur, & perferuntur, & ut inquit Macrobius, eſt animum ſupra periculi metum agere, nihilq; niſi turpia timere, tolerare fortiter aduerſa, uel proſpera.

Officium iſtius uirtutis, eſt firmare, & conſeruare bonum rationis in his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in periculis arduis, & grauibus, ut in cõp. Theol. uerit. & Viguer.

Conſiſtit in

Aggreſsione arduorum in pſal. 30. Viriliter agite, & confortetur cor ueſtrum.

In contemptu terrenorum. Hæb. 11. Moyſes negauit ſe eſſe filium Pharaonis.

In ſuſtinentia tribulationum. Cant. 8. Fortis eſt ut mors dilectio.

In reſiſtentia tẽtationum. 2. Timot. 2. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.

In impugnatione uitiorum. Iob 7. Militia eſt uita hominis ſuper terram.

TEMPERANTIA autem appetitum moderamur, ne metas tranſiliat legis, hoc eſt nihil appetere pęnitendum, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugo rationis cupiditatem domare, inquit Macrobius.

Eius



Eius ſunt ſpecies,

| | | |
|---|---|---|
| Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas Pudicitia, | Quibus opponuntur. | Gula, Ebrietas, Fornicatio, Impudicitia. |

Ad Prudentiam.

Eſtote prudentes ſicut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ.

Ad Iuſtitiam.

Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorẽ, cui honorem, honorẽ.

Ad Fortitudinem.

Induite uos armaturam Dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, & reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.

Ad Temperantiam.

Noli inebriari uino, in quo eſt Luxuria, & carnis curam ne feceris in deſideriis.

Ad Fidem per D. Paulum.

Quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. ad Hæb. 11. Quam qui habent, fideles uocantur, & qui non habẽt, infideles. Aug. lib. 13. de Trinit. ca. 2. Veraciter autem fideles ſumus, ſi quod uerbis promittimus, operibus complemus. Gregorius. Hom. 29.

Explicatio eiuſdem.

Subſtantia, inquàm, rerum ſperandarum. i. certitudo, & quaſi certa poſſeſsio quædam earum rerum, quas ſperamus & quod eas noſtræ mentis oculis ſic repræſentet, ac ſiſtat, ut iam illis quodam modo frui uideamur.

Et argumentum non apparentium, i. perſpicua oſtenſio, & certa demonſtratio rerũ, non uenientium in conſpectũ, ut de iis perſuaſi ſimus, ac ſi oculo corporali peruiderentur. Gropper. in inſtit. de ſumma noui Teſtam. doctrina.

FIDES CHRISTIANA quid conueniat cũ fide antiqua.

Fides noſtra eſt eadem, quæ & antiquorum. Auguſtin. libr.

de

de pacientia.cap.21.

Antiqui iuſtè ante incarnationē uerbi in hac fide Chriſti, & in hac uera iuſtitia, quod eſt nobis Chriſtus, iuſtificati ſunt, hoc credentes futurum, quod nos credimus factum; gratia ſalui facti per fidem, non ex ſe ipſis, ſed Dei dono; nō ex operibus, ne fortè extollerentur. Bona quippe opera eorum non præuenerunt miſericordiam Dei, ſed ſecuta ſunt. Tempora uariata ſunt, non fides, quia eadem fides utroſque coniungit, & eos, qui crediderunt uenturum, & eos, qui ueniſſe iam crediderunt, diuerſis quidem temporibus, ſed utroſque per unum fidei oſtium. i. Chriſtum uidemus ingreſſos, & alibi

Eundem ſpiritum habuerunt, qui uenturū in carnem Chriſtum prænunciarunt, quem etiam illi, qui enm ueniſſe nunciauerunt.

Quæ fides alia eſt. Informis, ſcilicet quando eſt ſine charitate, ut in chriſtiano, qui eſt in peccato mortali, & tunc eſt fides mortua, quia ſine dilectione eſt.

Alia eſt Formata, ſcilicet quando eſt cum charitate, & tunc eſt uiua, quia eſt cum dilectione.

D. Pauli ſententia de Fide informi.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum uelut æs ſonans, & cimbalū tiniens. 1. Corint. 13.

Quid ergo proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autē nō habeat? nūquid poterit fides ſaluare eū?

Fides ſine operibus ocioſa eſt, nam ex operibus fides conſumata eſt. Credidit Abraam Deo, & offerens Iſaac reputatum eſt illi ad iuſtitiam; & amicus Dei appellatus eſt.

Fides autem mortua, non eſt fides, nihil enim non differret a fide dæmonum, quia fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa; & ille, qui hoc modo credit, nihil magis egregium facit q̄ dæmones, qui credūt, & cōtremiſcunt.

De laudibus catholicæ fidei. Nullæ maiores diuitię, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mūdi maior eſt ſubſtantia, quàm eſt fides catholica; quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecuminos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martytes coronat, virgines, & uiduas, & cōiugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat, in ęterna hęreditate cum ſanctis angelis collocat Aug. ſerm. 1. de uerbis Apoſt.



AD SPEM.

Spem eſſe neceſſariam chriſtiano inter cętera ſacræ ſcripturæ teſtimonia D. Paulus ad Hęb. 6. teſtatur, cum ſpem, appellat animæ noſtræ ancoram tutam, ac firmam, & incedentē, uſque ad interiora uelaminis, hoc eſt tabernaculū ęternę beatitudinis, ubi pręcurſor, p nobis introiit Ieſus.

Quemadmodum enim ancora fluctuante mari, firmat naues, ne auertātur, aut in ſaxa impellātur, & cōfringātur,

Ita ſpes in his mundi tempeſtatibus, de promiſsis diuinis, nos confirmat, ut quæ nobis nō in rebus fluxis, ſed in cœlo fixa eſt, ubi multæ rerum uices, ſed ęterna ſtabilia que omnia. Alb. in Scopo Biblico, de fide, ſpe, & charitate.

Deffinitio eius.

Spes autem, quam D. Paulus modo confideutiam appellat. Hęb. 10. Modo fiduciam. Hæb. 4.

Eſt ſummi boni, Deo miſerante expectatio, hoc eſt certa rerum bonarum futurarū, quas a Deo promiſſas fide indubitata credimus cum pacientia expectatio ibidem.

Ille ſperat, qui bonam conſcientiam gerit, quem uerò pungit mala conſciencia retrahit ſe a ſpe etiam non ſibi ſperat, niſi damnationem, Vt ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur, quia quod credit, fidei eſt, quod operatur, charitatis. Auguſtinus in pręfatione in pſal. 31.

Verę chriſtianę ſpei duo potiſsimum uitia maximè afficere.

Duo ſunt uitia generis humani quibus homines pereunt. alii

alii ſperando,
alii deſperando.

Deſperando perit, qui dicit. Ego ſcio facinora mea, ego noui ſcelera mea: quomodo fieri poteſt, ut illa, quæ feci, dimittat mihi Deus?

Sperando perit, qui dicit, quid prodeſt quod dicis, iam faciam quicquid poſſum, hoc perdo, quod nō facio, ſic me damnaturus eſt pro uno peccato ſicut pro multis.

Et ideo ſi illam uitam habiturus ſum, uel iſtam perdere nolo, quare ergo non facio uoluntatem meam? quare non explebo libidines meas?

Alius uerò timens periculum deſperationis, incipit ſperando perire quando dicit, quandocunque fuero cōuerſus, promittit Deus dimittere mihi: ſpero in ipſius miſericordia, quia totum mihi dimittet.

Sed deſperanti dicit Deus, nolo mortem peccatoris, &c. Speranti uerò, ne tardes conuerti ad dominum, &c. Auguſtinus ſerm. 5. in ſerm. communibus. interim, uide ſimilia. ſerm. 48. & 39. de verb. Domini.

Ad Charitatem, de eius diffinitione.

Charitatem uocat B. Auguſt. motum animi ad fruendū Deo propter ipſum, & ſe atq; proximo propter Deum lib. 3. de doct. cap. 10.

Eius præſtantia.

Charitas eſt uia Dei ad homines, & uia hominum ad Deū. Per charitatē enim uenit Deus ad homines, uenit in homines, factus eſt homo.

Per charitatem homines diligunt Deum, eligunt Deum, ad Deum currunt, ad Deum perueniunt. Sic etiam familiaris eſt Deo charitas, ut ipſe manſionem habere nolit, ubi charitas non fuerit. Si ergo charitatem habemus, Deum habemus, quia Deus charitas eſt, Auguſt. libr. de ſpiritu, & anima. cap. 16.

Inde in omnibus Dei donis ita charitas excellit, ut etiam Deus dicta ſit Deus charitas eſt.

Charitas ergo quæ Deus eſt. Naſcitur, Creſcit, Seruatur,

Naſcitur, ſi cibaueris inimicum, ſi potum dederis ei, quia hæc faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Carbones ignis ſunt opera charitatis, quæ congeruntur ſuper diabolum, qui eſt caput omnium iniquorum, ut ablato eo naſcatur eis caput Deus qui eſt charitas.

Creſcite ſi neceſsitatem patienti ſubueneris, ſi uolenti mutuare præſtiteris, ſi amico animum tuum aperueris.

Seruatur, ſi loquendo, uel exhibendo etiam quæ non uidentur neceſſaria amicorum uoluntati ſatisfeceris.

Item bono uultu dulci ſermone, hilari operatione, ut charitatem quam uultus, & ſermo indicant, pia, & hilaris operatio confirmet.

De eius laudibus.

Charitas, cauſa eſt, & mater omnium uirtutum, quæ ſi deſit fruſtra habentur cætera; ſi autem adſit, habentur omnia; omnia fiunt facilia charitate, mandatum Dei non habet graue. Quomodo enim eſt graue, cum ſit dilectionis mandatum, aut enim quis non diligit, & iam graue eſt, aut diligit, & graue eſſe nō poteſt, Aug. in tract. de laud. charit.

DE DISTINCTIONE BIBLIORVM.

Sacrorum uniuerſa Bibliorum ſumma diſtinguitur in duo teſtamenta in VETVS ſiue primum (quod Hieronymus uocauit elementa mundi, quibus Deum diſcimus) nihil ferè eſt aliud quàm prophetia noui teſtamenti. Augu. cōtra Fauſtum Manichæ. lib. 15. c. 2. ideo ſic dictum.

Vel quod temporalium rerum promiſsiones contineat.

Vel quia per nouum aboleatur. idem in pſal. 104. in quibus agitur de lege ueteri, ſiue de ſtatu populi Dei.

NOVVM, ſiue ſecundum iuxta Auguſtini. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 54. quod eſt perfectio ueteris Teſtamenti ſic dictum,

ctum, quod æternæ uitæ contineat promiſsionem; Auguſtinus dicto loco.

Vtrumque inducit homines ad obſeruantiam legis, & quidem prius ueteris, poſterius nouæ per timorem pœnarum, & per amorem.

## DE HOMINIS QVATVOR NOVISSIMIS memorandis.

Quatuor nouiſsima ſemper memoranda ab homine ſunt.

Primum eſt dies mortis, qua ut nihil certius, ita nihil eſt hora eius incertius.

Secundum eſt dies iudicii extremi, quod ueniendo ueniet ſemel ac ſimul, ſuper oẽs hoĩes, q̃ ſunt, fuerunt, uel erunt.

Tertium damnatio ad æternum ſupplicium, a quo nulla unquàm eſt redemptio.

Quartum beatitudo regni cœleſtis, quæ neque gaudii habet, neque gloriæ finem.

Et propterea dicũtur nouiſsima, quod inter cætera omnia, quæ hoĩ accidere poſſunt extremum locũ ſibi uendicẽt.

### Ad Mortem.

Eccl. 10. Rex hodie eſt, & cras morietur. 2. Reg. 4. Oẽs morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terrã, q̃ nõ reuertuntur.

### Ad Iudicium.

Eccleſiaſt. ultimo. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit; & gentium doctor Paul. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria corporis pro ut geſsit, ſiue bonum, ſiue malum.

### Ad Gehennam.

Nihil enim ea terribilius, intolerabilius, infęliciusque poſſe excogitari, ibi fletus, & ſtridor dẽtium, ibi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, ibi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Iob 10.

### Ad Regnum cœleſte.

Verum ſicut malorum ſumma infernus eſt, ita regnum cœlorum



lorum ſumma bonorum omnium exiſtit, ut hoc ipſo nihil, aut optabilius, aut iucundius, aut fęlicius homini unquàm poſsit deſiderari. 1. Cor. 2. Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, Quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Rom. 8. Non ſunt condignę paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

## QVOMODO VNVSQVISQVE RESVRGET.

Caro omnium quorumcunque qui nati ſunt, atque naſcentur, & mortui ſunt, & morientur, reſurget.

Et reſurget de monumentis per uirtutem uocis tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur.

Tuba illa nihil aliud eſt, niſi clamor de quo in euangelio. Media nocte clamor factus eſt, & ecce ſpõſus ueniet, &c.

Veniet dominus media nocte, ſed non pro hora temporis dicitur ita uenire, ſed quia tunc ueniet cũ nõ ſperabitur.

Et ipſo adueniente tenebræ illuminabuntur, & cordiũ abſcondita manifeſtabuntur, & cuique opera ſua bona, uel mala, reuocabuntur in memoriam, & mentis intuitu, mira celeritate cernentur, & conſcientia accuſet, uel excuſet hominem, & ea teſte damnetur, uel ſaluetur.

Sancti, & electi, malorum, ſicuti bonorum memoriam præcedentium habebunt in futuro, non tamen ut derogetur ſibi gloria, uel ad pœnam ſit eis, ſed ſibi erit ad gratiarum actionem.

Peccata electorum eis per pœnitentiam tecta, tegentur, & illic aliis, &c.

Peccata uerò, & mala damnandorum omnibus erunt nota.

## DE HIS QVI REPERIENTVR VIVI in tempore ultimo.

Qui in tempore nouiſsimo reperientur uiui, inquit Ambroſius in ipſo raptu eorum qui uiui reperientur, mors erit, & reſurrectio, ut anima quaſi per ſoporẽ egreſſa de corpore eidem in momento reddatur. Et Apoſt. etiam omnes

nes quidem reſurgemus. i. boni, & mali, ſed non omnes immutabimur, ſcilicet in ſolemnitatem reſurrectionis.

Sed Hieronymus dicit quoſdam in fine ſeculi adueniente Chriſto nō eſſe morituros, ſed uiuos repertos in immortalitatem repente mutandos, ſed quod dictum eſt, uerius ſit, non eſt noſtrum, neque humanum iudicium diffinire.

VIVI ET MORT. QVOMODO IVDICABVNTVR.

Intelligitur Chriſtus dupliciter iudicare uiuos, & mortuos. Vno modo ſit. Vt uiui accipiantur qui in aduentu eius uiui reperientur, licet in raptu moriuntur, & mortui qui ante deceſſerant.

Aut uiuos, & mortuos. i. iuſtos, & iniuſtos intelligat.

IN QVA AETATE RESVRGENT MORTVI.

Omnes reſurgent, in ætate in qua Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, cuiuſcunq; ętatis mortui fuerint. Et unuſquiſque ſuam recipiet menſuram corporis, quam uel habuit in iuuētute, etiam ſi ſenex obiit, uel fuerit habiturus ſi antè eſt defunctus.

Aetas uerò erit illa ad quā peruenit Chriſtus, ſcilicet iuuenilis, ut circa triginta annos. Triginta enim annorū duorum, & trium menſium erat ætas Chriſti, in qua mortuus eſt, & reſurrexit, nec de ſubſtantia, de qua hominis caro creatura aliquid peribit; ſed omnium particularum antè diſperſarum collectione reintegrabitur naturalis ſubſtantia corporis.

Sanctorum corpora, reſurgent ſicut Sol, & præciſis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt.

Reproborum uerò habitudo, uel pulchritudo incerta eſt, ſed certa, & ſempiterna damnatio ſua. Auguſt. de ciuitate Dei. lib. 21. 1. & 3. recitat de corporibus malorum, quę uerò non conſumentur cū in igne ardebunt ſempiterno.

Gehenna quę ſtagnū ignis, & ſulphuris dicta eſt, erit ignis corporeus, & cruciabit damnatorum corpora, uel hominum, uel dæmonum, ſed ſolida hominū, aerea dæmonū.

Qualiter



Qualiter ſit ignis æternus, & in qua parte mundi futurus ſit non eſt quærendum, quia ſciri non poteſt.

Animæ defunctorum reproborum, etiam ſine corporibus, ante reſurrectionem ſentiunt ignem materialem, quia non ſolum ſuis ſenſibus non priuantur, ſed nec ſuis affectibus ſcilicet ſpe, triſtitia, gaudio ac metu.

Abortiui fœtus, & monſtra, ex quo ſicut homo, in utero matrum incipiunt uiuere, ubicunque moriuntur, & mors illis euenire poteſt, & quantumlibet cito moriuntur, ad humanæ naturæ figurā, quamquàm nimia deformitate fuerint, in reſurrectione reuocabuntur, & reſurgent.

Animæ cū ex hoc corpore exierint, ſi bonæ, habent gaudia. Si malæ habent tormenta.

Et cum dies reſurrectionis aduenerit, gaudia bonorū erunt maiora, malorū autē tormēta grauiora, quia cū corpore etiā torquebuntur, habent ergo aīæ diuerſa receptacula.

Animæ defunctorum, pietate ſuorum uiuentium releuantur cum pro illis aliquod bonum, uel eleemoſina fiat, uel ſacrificium offeratur.

Auguſtinus itidem orationibus ergo ſanctæ eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſinis, quę pro eorum ſpiritibus offeruntur, non eſt dubium mortuos adiuuari.

Auguſtinus quoque 13. q. 11. cap. fatendum, ſanè defuncti ſciunt ſuffragia, quæ pro eis fiunt tribus modis.

Primò per diuinam reuelationē quando. ſ. Deus eis reuelat.

Secundò per bonorum Angelorum manifeſtationem, Angeli enim qui hic ſemper nobiſcum ſunt, & omnes actus noſtros conſiderant, quaſi in inſtanti poſſunt ad eos deſcendere, & eis protinus nunciare

Tertio per animarum hinc exeuntium intimationem.

EST enim quidam modus uiuendi.

Nec tam bonus,<br>
Nec tam malus,

Nec tā bonus, ut hæc ſacrificia, uel eleemoſinas nō reqrat.

Nec

Nec tam malus, ut ei non proſint iſta quicquàm.

Verum eſt enim quod poſtea eſt talis in bono, ut iſta non requirat.

Et eſt rurſus talis in malo, ut nec his cum uita tranſierit, adiuuetur.

Dicendum ergo quod ſacrificia, ſiue altaris, ſiue quarumcũque aliarum elcemoſinarũ, quæ pro baptizatis offeruntur. Si { pro ualde bonis offeruntur gratiarũ, actiones sũt. pro ualde mali, nulla sũt adiumento mortuorum, ſed aliquales uiuorũ conſolationes,

Sed pro ualde malis, & ſi nulla ſunt adiumẽta mortuorum, tamen qualeſcunque uiuorum conſolationes ſunt.

Quibus uerò proſunt, uel ad hoc proſunt

{ Vt ſit plena remiſsio, uel certè
Vt tollerabilior ſit ipſa damnatio. }

Non enim magis ualent generalia, & ſpecialia ſuffragia diuiti, quàm pauperi ſola generalia.

Cum tamen ambo æquè mediocriter boni fuerint, & tantum meruerit unus, quàm alter.

Et dicendum quanquàm diues habuerit ſpecialia, quę non habuit pauper, tamen ei profuerunt, nõ quidẽ ad aliud, uel maius aliquid ſed ad idem, ad quod generalia, ut ex pluribus, & diuerſis cauſis unum perciperetur emolumẽtum. Hoc eſt dicere illa plura ſubſidia contuliſſe diuiti celeriorem abſolutionem, non autem pleniorem.

Sicut Angelis petitiones noſtrę innoteſcunt, in uerbo Dei quod contemplantur. Ita etiam datum eſt ſanctis glorificatis ad Deum pro nobis duobus modis ſcilicet.

{ Merito, &
Affectu. }

Debemus ergo ſanctos orare, ut intercedant pro nobis, i. ut eorum merita nobis ſuffragẽtur, & ut ipſi uelint bonum noſtrum, quia eis uolentibus Deus uult, & ita fiet.

Dam-



Damnatorum mors, ſine fine erit eis perpetua, & omnibus communis, ſicut manebit communiter omnium uita æterna ſanctorum.

Et ſi dicemus animabus eorũ, & eorum ſupplicio aliquod leuamen adhiberi.

Sic eſt intelligendum. i. Deum, (& ſi iuſtè id poſsit) non omnino tãtum punire malos in futuro, quantũ meruerunt, ſed eis aliquid quantũcunq; mali ſint de pęna relaxare.

## DE IVDICIO EXTREMO.

In eo duæ erunt partes, ſcilicet { Electorum, &
Reproborum. }

Et bini ordines eiſdem ſingulis partibus continebuntur.

Ex parte enim electorum duo erunt ordines.

{ Alii iudicabuntur, & regnabunt,
Alii non iudicabuntur, & regnabunt. }

Iudicabuntur, & regnabunt. Qui uitæ maculas lacrhrymis tergunt, & eleemoſinarum ſuper inductione operiunt. Quibus iudex ueniens in dextera conſiſtentibus dicet. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.

Non iudicabuntur, & regnabunt: qui enim præcepta legis perfectionis uirtute tranſcendunt, quia non ſolum, quod lex præcipit implere contenti ſunt, ſed ea (quod ad perfectionem conſulitur) implere ſtudent.

Ex parte reproborum, bini quoque erunt ordines.

Alii iudicabuntur, & peribunt.
Alii non iudicabuntur, & peribunt.

Iudicabuntur, & peribunt, quibus dominica inclamatione dicetur. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, & qui profeſsionem fidei, ſine operibus habent.

Non, iudicabuntur, & peribunt, quibus dominus ait, qui non credit iam iudicatus eſt, & qui nec profeſsionem fidei, & ſacramenta non tenuerunt.

## QVOMODO DOMINVS VENIET AD IVDIC.

Dominus ad iudicium ueniet, & ante eum præcedet ignis quo

quo comburetur facies mundi huius,& peribit cœlum,& terra, nō ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum ſpeciem qua immutabitur.

Ille ignis tantum aſcendet in iudicio, quātum aſcenderunt aquæ in diluuio.

Malis qui tūc uiui reperti fuerint, iſte ignis erit cōſumptio.

Bonis uerò non,& ſi in eis aliquid purgandum fuerit,per illum ignem purgabitur.

MVNDO per hunc ignem purgato,dominus ueniet ad iudicium,& emittetur uox illa magna, qua reſurgent omnes mortui,& boni congregabuntur ibi de quatuor partibus mundi angelico miniſterio, quo & rapientur obuiam Chriſto in aera.

Reprobi autem in terrā quam dilexerunt remanebunt. Et denique ſuper utroſque proferetur ſententia. Venite Benedicti,& ite Maledicti. Et in caminum ignis.i.in infernum ab angelis uirtute Dei cooperantibus mittentur.

IN QVA FORMA IVDICABIT.

Chriſtus in forma ſerui glorificata ueniet in iudicio iudicaturus,& a bonis,& a malis uidebitur, ſed ſic.

Cum in forma ſerui glorificata iudicantem uiderint boni, & mali, tolletur impius, ut nō uideat claritatem Dei qua Deus eſt,quam ſoli mundo corde uidebunt.

Ita etiam dicitur ſuſcitaturus corpora mortuorum ſecundū humanitatem, exemplariter ſed uirtute diuinitatis eſt ſuſcitaturus, efficientes.

In forma ergo humana glorificata dicitur Chriſtus ſuſcitaturus corpora, & iudicaturus.

Iudicaturus inquàm quia illa forma, uinctis in iudicio apparebit.

Suſcitaturus,quia in eadem forma, meritum, & cauſam reſurrectionis noſtræ ſuſcepit.

LOCVS in quo Chriſtus iudicabit gentes,erit non in terra, ſed in ſpacio huius aeris ſedebit contra locum montis olïueti.



olïueti. Et cum per Ioelem Profetam dicatur,quod Dominus congregabit gentes,& diſceptabit cum eis in uallem Ioſaphat, ſic eſt intelligendum.i. in uallem iudicii, quia Ioſaphat iudicium domini interpræatur.

Congregabuntur inquàm omnes impii in uallem iudicii, id eſt damnationem. Iuſti autem non ibi deſcendent,ſed in nubibus eleuabuntur obuiam Chriſto.

Poſt iudicium cum fuerit factum Cœlum nouum, & Terra noua, tunc erit lux Lunæ, ſicut lux Solis.

Sol autem poſt iudicium laboris ſui mercedem recipiet.

Lucebit enim ſeptempliciter.

Non ueniet itaque ad occaſum, nec Sol,nec Luna,ſed in ordine, quo creati ſunt, ſtabunt, ne impii in tormentis ſub terra poſiti fruantur luce eorum.

Neque tunc erit uiciſsitudo diei,& noctis, ſed tantum dies.

In domo patris.i.in regno cœlorū,multæ erunt manſiones, id eſt præmiorum differentiæ.

In gehenna quoque diuerſæ erunt manſiones,id eſt ſuppliciorum differentiæ.

Omnes enim æternam pœnam patientur, ſicut omnes electi habebunt eundem denarium.i.uitam æternam.

Et ita ſicut boni differenter glorificabuntur,alii magis, alii minus,ita & mali differenter in inferno punientur.

Electus ergo ab electo differet in charitate mentis, & corporis,& quia alii, aliis uicinius clariuſque Dei ſpeciem contemplabunt, ipſa contemplandi differentia, diuerſitas manſionum uocatur, quia alius alio magis, alius alio minus fulgebit.

Et quanquàm electi diſpares ſint per diſparem cognitionis claritatem, tamen gaudium par habebunt,quia per charitatem, quæ in ſingulis erit perfecta, tantum quiſque gaudebit de bono alterius, quantum gauderet, ſi in ſe ipſo haberet.

Diſpares ergo erunt in beatitudine, & pares in gaudio, & non

non dicendum, quia ſunt pares in gaudio, ſunt etiam in beatitudine: quia ſi ita eſſet, eſſent pares in cognitione, ſed quia hoc non erit, paritas gaudii non faciet paritatem beatitudinis.

Peruento iudicio, ampliorem gloriam ſuæ claritatis Deus demonſtrabit electis quàm ante.

Expleto itaq; iudicio duæ erũt ciuitates ſuos fines habẽtes.

Vna Chriſti, & Bonorum.

Alia Diaboli, & Malorum.

Bonis uoluntas peccandi,

Malis facultas eſſe non poterit.

Et quia reprobis non dabitur facultas peccãdi quanquàm habeant malam uoluntatem, tamen illa uoluntas non erit peccatum, ſed ſupplicium tantum.

Et ſi peccatum erit, per illud non merebunt aliquam pœnam, quia non eſt ibi locus merendi.

Illud ergo peccatum, ſi peccatum eſt, non eſt meritum ſupplicii, ſed ſuppliciũ mali meriti qđ in hac uita præceſſit.

## DE CVRA MORTVORVM IN SVOS CHAROS.

An ullus dolor tangat mortuos, de his, quæ in ſuis poſt mortem contingunt, uel quomodo & quę circa nos aguntur nouerint ſpiritus defunctorum, magna eſt quæſtio Auguſtini partim ab ipſo explicata, & partim inſoluta remãſit.

Sed breuiter dicẽdũ, quod eſt cura mortuis de ſuis charis, ut de diuite legitur, qui dum tormenta apud inferos pateretur, leuauit oculos ad Abraam, & inter alia dixit. Habeo quinque fratres, mitte aliquẽ ex mortuis ad eos, &c. ut in euangelio.

Habent ergo mortui curã de uiuis, quos ſciunt uiuere, quia nec in locis pœnarum uidẽt eos, ubi diues ſine fratribus erat, nec in requie beatorum, ubi Lazarum, & Abraam, (quanuis longe) agnoſcebat.

Boni in gloria, & mali in inferno poſiti uiciſsim ſe uidebũt uſque ad iudicium, poſt uerò boni uidebunt malos, ſed non mali bonos.



Boni malos in tormentis uidentes aliqua compaſsione nõ mouentur, unde Gregorius ſuper Lucam.

Sicut reprobi a pœnis ad gloriã ſanctorum tranſire uolunt, & non poſſunt, & ita iuſti per miſericordiam mente ire uolunt ad poſitos in tormentis, ut eos liberent, ſed non poſſunt, quia iuſtorum animæ, & ſi in naturæ ſuæ bonitate miſericordiam habeant, tamen tunc auctoris ſui iuſtitiæ coniunctæ tanta rectitudine conſtringuntur, ut nulla ad reprobos compaſsione moueantur.

Aſpecta ab electis pena reproborum, non propter hoc obfuſcabitur gloria ſua, quia ubi iam compaſsio miſeriæ non erit minuere beatorum lætitiam non ualebit.

Egredientur ergo electi non loco, ſed intelligentia, uel uiſione manifeſta, ad uidendum impiorum cruciatus, quos uidentes, non dolore afficientur, ſed lætitia ſatiabuntur agentes gratias de ſua liberatione, uiſa impiorum ineffabili calamitate.

Qui impii poſt iudicium in profundioribus tenebris ponentur, ubi nullam Dei lucem uidebunt, cui confiteantur.

A qua ſempiternus Deus ſua ineffabili pietate nos liberet, & ad ſuam fœlicem beatitudinis gloriam nos perducat, introducat, & ibi nos confirmet. Amen.

## DE RATIONALI CREATVRA.

Rationalis creatura facta eſt a Deo, propter eius bonitatẽ, & ipſius creaturæ utilitatem.

Et eam rationalem fecit, ut ſummum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſsideret, & poſsidendo frueretur.

Rationalis creatura.

{ Alia eſt corporea, }
{ Alia incorporea. }

Corporea uocatur homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Incorporea uocatur Angelus.

Propter ergo Dei bonitatẽ,& ſuã utilitatẽ facta eſt rationalis creatura, utile nempe ipſi eſt ſeruire Deo,& frui eo.

Rationalis creatura.

Alia Angelica.
Alia Humana.

Quarum altera eſt tota ſpiritualis.i.Angelica.

Altera ex parte corporalis eſt.i.humana.

Simul creata fuit creatura ſpiritualis, ſcilicet Angelica; & corporalis, ſcilicet materia illa quatuor elementorum confuſa.i.humana.

Simul quoque creata fuit, cum tempore,& ſimul cum mundo. Nec fuit ante Angelica creatura quàm Mundus, quia nulla creatura creata eſt ante ſæcula, ſed a ſæculis cum quibus cępit.

Ante ergo cœlum,& terrã nihil factum eſt, nec etiã tẽpus.

Cum tempore enim creata ſunt, ſed non ex tempore.

Et aduertas quod per cęlum,& terram intelligitur ſpiritualis, corporaliſque creatura.

## DE ANGELICA CREATVRA.

Angeli ante caſum, fuerunt in cœlo, non in hoc firmamento, quod ſecunda die factum eſt, ſed in cœlo ſplendido, quod dicitur Empyreum.i.igneum, a ſplendore, nõ a calore,& inde corruerunt quidam propter ſuperbiam. Alii uerò, qui non peccauerunt, illic perſtiterunt.

Angeli in tribus fuerunt differentes, quæ tamen tria omnibus inerant, ſcilicet.

In intelligentia, & ſapientiæ perſpicacitate.

In eſſentiæ ſubtilitate. &

In libertate Arbitrii.

Equales tamen fuerunt, & quædam ſibi fuerunt æqualia, & communia, in quantum ſcilicet,

Quod ſpiritus erant, & ſunt.

Quod indiſſolubiles, & Quod immortales.

Sed



Sed in Eſſentia,& in forma, & in facultate. — differentias acceperunt in primordio ſuæ conditionis.

Sed has diſtinctiones, ſolus ille, qui in pondere, numero, & menſura cuncta fecit comprehendere poteſt.

Omnes itaque Angeli creati fuerũt boni,& bonitate, quam natura incipiens acceperat.

Et poſt creationem, aliqua etiam mora inter poſita aliqui ceciderunt a bono, quod habuiſſent, ſi perſtitiſſent.

Sciebant enim — Quod facti erant,& a Quo, & cum Quo

Et habebant aliquam notitiam boni, uel mali.

Et intelligebant, quid eis appetendum, & reſpuẽdum eſſet.

Sed poſt ipſorum creationem Angelorum mox quidã conuerſi ſunt ad creatorem ſuum, & quidam auuerſi, & hoc ſua propria uoluntate.

Vtraque enim fuit uoluntatis, & uoluntas utriſque libertatis ſcilicet, charitate creatori ſuo adherere, uel odio habere, uel inuidere.

Per ſuperbiam enim uoluerunt ſe ipſi purificare.

Poterant enim uoluntate eligere quodlibet, & ratione iudicare.i.diſcernere, quia habebant liberum arbitrium, quod eſt libera poteſtas, & habilitas uoluntatis rationalis,& ſic habiles erant ad uolendum bonum, uel malum.

Nullus Angelus indigebat gratia, per quam iuſtificantur, quia malus non erat.

Sed ea, qua ad diligendum Deum perfectè,& obediendum adiuuaretur, quæ erat cooperans indigebat.

Operans enim gratia dicitur illa, qua iuſtificatur impius id eſt de impio fit pius, & de malo fit bonus, & hac nemo indigebat.

Cooperans uerò gratia eſt illa, qua iuuatur ad bene uolendum efficaciter, & Deum præ omnibus diligendum, & ope-

operandum bonum,& perſeuerandum in bono, & hæc
data fuit illis,qui perſtiterunt,per quam conuerſi ſunt,u
Deum diligerent perfectè .

Data uerò non eſt eis hæc gratia cooperãs,qui ceciderunt, quia ſua ſpontanea uoluntate declinauerunt, quod ſi nõ feciſſent,quod datũ fuit aliis,datũ quoque fuiſſet,& illis.

Culpa ergo ipſorum ſunt quod hanc non habuerint.

Per id enim,quod eis collatum fuerat in creatione,poterãt nõ cadere.i.ſtare,quia nihil erat,qđ ad caſum eos cõpelleret,ſed(ut dixi) ſua propria uolũtate ſibi malũ elegerũt.

## DE CASV LVCIFERI.

Cecidit inquàm Lucifer propria uoluntate, qui poſtquàm creatus eſt, eminẽtiam naturæ,& profunditatẽ ſuæ ſcientiæ perpendens in ſuum creatorem ſuperbiuit in tantum quod etiam Deo ſe æquare uoluit.

Cũ eo etiã alii multi ceciderũt, q̃ ei in malitia cõſenſerũt.

Et quia non eſt eis conceſſum habitare,neque in cęlo, quia locus eſt clarus, & amenus.

Nec in terra nobiſcum, ne homines nimis infeſtaret, ideo deiectus eſt ipſe Lucifer in iſtum caliginoſum aërem cũ omnibus ſuæ prauitatis conſortibus, quia ſimilis, ut dictum eſt, eſſe uoluit Deo, non per imitationem, ſed per æqualitatem potentiæ.

Horum dæmonum, quod etiam aliqui quotidie in inferno deſcendant, qui animas illuc cruciandas deducunt, & quod illic aliqui ſemper ſint, qui animas detinent ibi, & cruciant,& fortè uiribus alternatis, nõ procul eſt a uero.

Luciferum quidam etiam putant religatum eſſe in inferno, ex quo tentauit Chriſtum, & uictus fuit ab eo, & quod tunc ſoluetur de carcere, cum tempus fuerit Antichriſti iuxta illud Apocalyp.

Cum conſumati fuerint mille anni ſoluetur Sathanas de carcere ſuo,& exiet,& ſeducet gentes quod erit nouiſsimo tempore Antichriſti.





Sed ſiue ſit in infernum demerſus, ſiue non, ad nos tentandos acceſſum non habet, nec tantam poteſtatem, ſicut in tempore Antichriſti. Et tunc fortè dicitur ſoluẽdus, quia tunc dabitur ei maior poteſtas a Deo tentãdi homines quam modo non habet.

Boni,& mali Angeli inter ſe habent prælationes, quia alii aliis præſunt, & alii aliis ſunt ſubiecti, & hoc quàmdiu mundus durabit.

Sed in futuro,nec Angeli Angelis, nec dæmones dæmoniibus, nec homines hominibus præerunt, ſed omnis euacuabitur prælatio.

Vnuſquiſque dæmon cum ab aliquo ſancto caſtè, & pudicè uiuẽdo uictus eſt, ad alios impugnãdos accedere põt.

Boni Angeli,tanta gratia ſunt confirmati,ut nequeant fieri mali, nec poſsint uelle malum, uel uelle eſſe miſeri. Et hoc non habent ex natura, ſed ex gratiæ beneficio, quia per liberũ arbitriũ, quod eſt eis naturale,poſsũt peccare.

Sed ex gratia non poſſunt, non quod eorum liberum arbitrium ſit debilitatum, ſed confirmatum.

Mali Angeli, in malitia, & in uitio adeo ſunt obdurati, ut non ualeant fieri boni, nec bene uiuere nequeant, quia ſpontanea uoluntate, & gratia deſtituti bonum uitant, & malum ſequuntur.

Et licet ita per malitiam ſint obdurati,uiuacem tamen ſenſum non perdiderunt, nam

Dæmones uigent triplici acumine ſcientiæ,ſcilicet,

Subtilitate naturæ.i.ſenſus.

Experiẽtia tẽporum. i. p̃p tam magnã longitudinẽ uitæ, &

Reuelatione ſupernorum ſpiritum. i. ſanctis Angelis quod ipſi ab oĩpotenti Deo deſunt iuſſu eius ſibi reuelãtibus.

Virtute itaque,& ſcientia ipſorum dæmonum, & exercentur,& ualent artes Magicæ.

Quæ ſcientia,uirtus, atque poteſtas, data eſt ei a Deo propter tria, uel ad

Fallendum malos,& fallaces,ſicut in Aegyptios, & in ipſos etiam Magos data eſt,& in eorum ſpirituum operatione uiderentur admirandi,a quibus fiebant damnãdi, uel ad

Admonendos fideles,ne tale aliquid facere pro magno deſiderent, uel ad

Exercendã,probandã,manifeſtandamq; iuſtorũ pacientiã.

Angelorum quoque nouem ſunt ordines.

Tres ſuperiores,
Tres inferiores, &
Tres medii.

Superiores ſunt,

Seraphini qui præ aliis ardent charitate.

Throni, qui tãta diuinitatis gratia replẽtur,ut in eis ſedeat Deus,& per eos iudicia decernat, atque informet.

Cherubin,qui præ aliis in ſcientia eminent.

Inferiores ſunt.

Virtutes,per quos ſigna,& miracula frequenter fiunt.

Archangeli, qui maiora nunciant.

Angeli, qui minora.

Medii ſunt.

Dominationes, qui principatus, & poteſtates trãſcendunt.

Principatus,qui ſibi ſubiectis, quæ ſunt agenda diſponunt.

Poteſtates, ut uirtutes aduerſæ eis ſubiectæ eorum refrenentur poteſtate, ne homines tantum tentare ualeant quantum deſiderant.

Illorum Angelorum aliqui de ſingulis ordinibus ceciderunt, nõ quia fuiſſent in ordinibus, & poſtea corruerint, ſed quia ſi perſtitiſſent eorum aliqui in ſingulis fuiſſent ordinibus,qui & in naturæ tenuitate,& in formæ perſpicacitate differẽtes gradus habebãt,ſicut illi q̃ pſtiterunt.

Homines ſtatuentur in ordinibus Angelorum pro qualitate meritorum, quorum alii aſſumẽtur in ordine ſuperiorum, qui ſcilicet magis ardebunt charitate. Alii in ordine inferiorum,qui ſcilicet minus perfecti erunt.

Non



Non eſt dubitandum unamquamque animam ab ortu natiuitatis ſuæ Angelum bonum in ſui profectum,& cuſtodiam,& alterum ſimiliter malum ad exercitium deputatum habere. Siue etiam pluribus deſtinatus ſit ſimul,ſiue uni ſingulariter, ex uariis & præſertim ex P.Lomb.

## DE CREATO HOMINE.

Factus eſt homo ad imaginem Dei,& ſimilitudinem ſecundum mentem, qua irrationabilibus antecellit.

Factus eſt ad imaginem ſecundum memoriam, intelligentiam, & dilectionem.

Factus eſt ad ſimilitudinem ſecundum innocentiam, & iuſtitiam,quæ in mente rationali naturaliter ſunt.

Formauit quoque Deus hominem de limo terræ,& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ.i.ſubſtantiam animæ.

Et flatus, quo hominem animauit,factus eſt a Deo, & non de Deo,nec de ſubſtantia Dei,ſicut quidam hæretici putauerunt,nec de aliqua materia,ſed de nihilo.

Flare enim & Inſpirare eſt Flatum facere,Flatum facere eſt animam facere, ſicut per Iſaiam dominus inquit,omnem flatum ego feci.

Et quicquid de anima primi hominis æſtimatur,de aliis certiſsime ſentiendum eſt,quod in corpore creentur.

Creando enim infundit eas Deus,& infundendo creat.

Mulierem quoq; de una eius ex hominis coſtis, & dormientis formauit Deus in Paradiſo, Nam extra Paradiſum creatus erat primus homo in uirili ætate,& poſtmodum poſitus in Paradiſo. Qui locus erat ameniſsimus,fructuoſus arboribus magnis in orientali parte poſitus.

Et quia hæc mulier uiro, nec domina, nec ancilla parabatur, ſed ſocia, ideo nec de capite,nec de pedibus, ſed de latere eam produxit, in quo opere Chriſti, & eccleſiæ ſacramentum figuratum eſt.

Quidam putauerunt animam ipſius Euæ propagatam eſſe de anima uiri ſicut corpus de uiri corpore traductũ fuit.

Dd Sed

Sed hi,qui animas ex traduce credunt,& dicunt,anathematis uinculo condemnantur.

Catholica inquam eccleſia, nec ſimul ex traduce factas eſſe animas docet, ſed in corporibus per coitum ſeminatis, atque formatis infundi,& infundendo creari.

Quia Deus non ipſam animam, de anima facit, ſed ſigillatim animas de nihilo creat.

Potuerunt primi homines in Paradiſo filios gignere, & ibi habere nuptias honorabiles, & Thorum immaculatum, ſine ardore libidinis,& labore pariendi.

Diabolus non hominem, ſed mulierem tentauit, in qua minus quàm in uiro rationem uigere nouit.

Et eam ſolitariam explorauit,ut in ea primum omnem ſuæ tentationis uim experiretur.

Nō uenit in ſua propria forma, propria uoluntate, ne fraus illius nimis manifeſtaretur.

Sed uenit ad hominem in ſerpente,ut in forma ſuæ malitiæ congruenti ueniret,& hòc diuinitus factum eſt, nā ſi permiſſum fuiſſet,in columbæ ſpecie uenire maluiſſet.

Mulier non horruit ſerpentem loquentem, quia cum nouerit eſſe creatum, ipſum etiam officium loquendi a Deo accepiſſe putauit.

Homo per alium ſurgere potuit,& non Diabolus, & hominis peccatum remediabile fuit, Diaboli uero non.

Nam peccatum hominis,ſicut per alium habuit initium,ita per alium non incongrue habuit remedium.

Diabolus quia ſine alicuius tentatione peccauit, per alium ut ſurgeret, iuuari non debuit, nec per ſe potuit, & ideo irremediabile peccatum eius extitit.

Creatura rationalis,quæ in hominibus erat, quoniam peccatis,atque ſuppliciis tota perierat, ideo ne penitus perderetur, ex parte eſt redempta.

Angelica uero creatura, & natura quoniam non tota perierat,ſed ex parte perſtiterat, ideo non eſt redempta, & ſic placuit



placuit uniuerſitatis creatori,& moderatori.

Mulier quoniam uoluit uſurpare diuinitatis æqualitatem, & nimia præſumptione elata credidit ita eſſe futurum, quod ei dixerat Diabolus, in quacunque hora de hoc ligno comederitis, eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum,quod quidem lignum erat in Paradiſo, inter alia diuerſi generis ligna.

Et hoc erat uitæ lignum diuinitus hanc uim habens, ut qui ex eius fructu comederet, corpus eius ſtabili ſanitate,et perpetua ſoliditate firmaretur.

Et aliud erat,quod uocabatur lignum ſcientiæ boni & mali, non a natura,ſed ab occaſione rei poſtea ſecutæ.

Arbor enim non erat mala, ſed ſcientiæ boni & mali ideo dicta eſt, quia poſt prohibitionem erat in illa trāſgreſsio futura. Et ſi peccatum primi hominis nō fuerit grauius omnibus aliis peccatis humanis,ſecundum ſpeciem peccati,fuit tamen grauiſsimum ſecundum conditionē perſonarum peccātium propter perfectionem earum, unde ſecundum quid fuit grauiſsimum, nō tamen ſimpliciter, & ob id peccatum Adę fuit grauius ſecundum conditionem perſonæ peccato Euæ, quia Adam erat perfectior muliere,ſecūdum uero genus fuit æquale utriſq;. Auguſt. ſuper Gen. 11. peccatum eorum fuit impar ſexu,ſed par ſtatu.ſecundum uero ſpeciem ſuperbiæ grauius peccauit mulier triplici ratione.primo,ratione maioris elationis. ſecundo, quia non ſolum ipſa peccauit, ſed uiro peccatum ſuggeſsit.tertio,quia non credidit Adam perſuadenti mulieri,ſed ne contriſtaret delitias ſuas ſperans ſe pœnitentia miſericordiam Dei conſequi poſſe. Ideo diminuit peccatum.

Maius quoque peccatum habet mulier,quia in ſe,in Deum, & in proximum peccauit.

Et quanquam eius natura eſſet ſine uitio & incorrupta, tamen ille conſenſus mali ex libero arbitrio propriæ uo-

luntatis fuit, quia diabolo ſuadente uoluit conſentire.

Et ſic creatus eſt homo, & Mulier, Adam, & Eua, ut in Geneſeos uidetur. Cuius

Geneſeos prima pars complectitur ipſorum primorum hominum Adæ, & Euæ.

Creationem | Collocationem
Coniunctionem & | Lapſum

CREATIONEM, quorum gratia creata ſunt.

Terra | Sol | Piſces
Dies | Luna | Beſtiæ
Nox | Stellæ | Terræ

Sub hoc diſcrimine.

Homo quidem ad gloriam Dei. Gen. 1.

Cætera uero omnia ad hominis utilitatem. Gen. ibid.

COLLOCATIONEM in paradiſum uoluptatis, in quo produxit Deus.

LIGNVM, &
FLVVIVM.

Lignum omne primo pulchrum uiſu, & ad ueſcendū ſuaue.

Lignum uitæ in medio Paradiſi.

Lignum ſcientiæ { Boni & / Mali } cum præcepto, ne ex eo comederent.

Fluuium ad irrigandum paradiſum, qui deinde diuiditur in quatuor flumina nomine.

Phiſon | Tigris | toto cap. 2.
Gehon | Eufrates |

CONIVNCTIONEM, quæ per legitimum facta eſt matrimonium.

LAPSVM primorum parentum Adæ & Euæ, quem produxit peccatum malæ cupiditatis, & quem conſequuntur, Pœnitentia, Pœna, Conſolatio per promiſsionem futuræ reparationis cap. 3. &

Lapſum Cain ob perpetratum fratricidium, cui pro pœna mox accedit { Maledictio & / Deſperatio }

ex do-



ex doctoribus multis, & ex Magiſtro præcipue.

## DE INTERPRETATIONE Sacræ ſcripturæ ex Conc. Trid.

Ad coercēda petulantia ingenia decreuit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet ſancta Mater eccleſia, cuius eſt iudicare de uero ſenſu, & interpretatione ſanctarum ſcripturarum, aut etiam contra unanimem conſenſum patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, etiā ſi huiuſmodi interpretationes, nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis a iure ſtatutis puniantur in dicto Dec. 2. Seſſ. 4.

## QVO MODO, STVDIO AC DILIGENTIA facilior fiat ſacra ſcriptura.

Vt nihil eſt tam difficile, quod non inueſtigando fiat facile, ita pie ſuper Eccleſiaſticum monet Hieron. ſcripturarum notitiam, non ocioſis dari, aut uota facientibus, ſed labo rantibus.

Eum autem laborem, qui ſacris impenditur literis, ſtudium dicere ſolemus, quod cōſiſtit in { LECTIONE / MEDITATIONE / ORATIONE ET / STVDIO }

LECTIONE, in qua illa debet obſeruari ratio, quam Lucæ 1. D. præſcripſit Ambroſ. Legimus (inquit) aliqua ne

Negligantur, ne | Ignorentur: ut
Teneamus: ut | Euitemus

MEDITATIONE. Quæ frequens eſt cogitatio inueſtigans rei uniuſcuiuſque { Modum / Cauſam / Rationem }

ORATIONE, nam ſacræ ſcripturæ intellectum, ut haberent, multi magis profeciſſe leguntur per orationem, quam per ſtudii ſimplicis exercitationem. Hieronymus ad Paulinum, & poſt eum Gloſſa Apocal.5. Exercitio pietatis, quo proficimus, & eorum ſpe conſequimur cognitionem, quæ abdita alioqui uideri poſſunt, & abſtruſa. Auguſt.lib.1.de moribus Eccl.ca.1.De uera item innocent.c.3.& c.37.

DE LEGIBVS DIVINIS.

LEGES diuerſo tempore hominibus datæ, eæ fuerunt.

PRIMA, in Paradiſo ante peccatum prohibitione ligni.

SECVNDA, poſt præuaricationem,& expulſionem ex paradiſo de humani generis multiplicatione.

TERTIA, Noe ante Diluuium de Arca fabricanda.

QVARTA, poſt diluuium de diuiſionibus gentium.

QVINTA Abraæ, de circunciſione,& immolatione filii Iſaac.

SEXTA, Moyſi in monte Synai.

SEPTIMA eſt illa lex ſpiritus,& Euangelium gratiæ per Ieſum Chriſtum, quæ etiam lex fidei dicitur, & peccatum, (quod per legem Moiſis non aufertur, ſed oſtenditur tantum) etiam abluit, & tollit.Rom.8.& ibi Gloſſa.

DE LEGIS PARTITIONE.

LEX accipitur, & diuiditur.

ACCIPITVR aliquando { Generaliter, aliquando / Proprie. }

Generaliter,& eo nomine ſimul omnia ueteris inſtrumenti ſanctarum ſcripturarum ſignificantur eloquia, atq; ſic ſub ſe continet,& { Profetas,& / Pſalmos. }

{ Pſalmos ut ipſe Dominus Ioan.15. In lege (inquit) eorũ ſcriptum eſt, quia oderunt me gratis, cum hoc legatur in Pſal.34.

Profetas, qua ratione D.Paulus 1.Cor.14. in lege ſcriptũ eſſe dicit, quod citat ibi ex Profeta Iſaia. 28. In aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic. }



Proprie uocatur lex, quæ data eſt per Moiſen, ſecundum quod dictum eſt, Lex, & profetæ uſq; ad Ioannem profetauerunt, Matth.11.& in his duobus præceptis tota lex pendet, & Profetæ. Matth.22.hic utiq; proprie lex appellata eſt de mõte Synaì, Aug. de Trinitate lib.15.c.17.

DIVIDITVR itaq; iuxta communem traditionem in { Diuinam, & / Humanam. }

Diuinam, quæ diſtribuitur in { Non ſcriptam & / Scriptam. }

{ Non ſcriptam, hoc eſt naturalem rationem, aut primæuam ideſt hominum mentibus cum ipſa ſimul natura ab initio inſitam, aut corruptam,& obſcuratam propter tranſgreſsionem præcepti in Paradiſo.

Scriptam, ideſt expreſſam dei uoluntatem, quã recte quidam ſubdiuidunt, in { Antiquam & / Nouam. } }

Antiquam, quod ueteris teſtamenti contineat præcepta quæ pertinent uel ad

{ Mores informandos, uel ad
Iudicia recte inſtituenda, uel ad
Cæremonias rite peragendas. His aliqui addunt ueteris teſtamenti
Promiſsiones & Sacramenta. }

Nouam, quæ in nouo exprimitur teſtamento, & lex dicitur gratiæ ſiue caritatis.

Humanam, quæ hominum commerciis certam præſcribit quaſi formam,& uulgo dicitur ius ciuile, cuius tria ſunt præcepta, ſcilicet.

{ Honeſte uiuere, Alterũ non lædere / Suum cuique tribuere } inſt.de iuſt.& iure.

DE

## DE PERICLITATIONE IN MORTE.

In Morte, nemo eſt qui memor ſit tui, o Domine. Aug. Pr- cutitur hac animaduerſione peccator, ut moriens obliuiſcatur ſui, qui dum uiueret, oblitus eſt Dei. Inquit Bern.

OSTIVM noſtrum maligni ſpiritus obſident, & aduentum noſtrum illæ horrendæ effigies præſtolantur, ideo formido exire, & in ipſo contremiſco portus ingreſſu, non cōfido prope aſsiſtere, qui excipiat exeuntem: ſecure non exeo, niſi dominus ipſe cuſtodiat exitum meum. Heu ero ludibrio dæmonum intercipientium non aſsiſtente qui redimat neq; qui ſaluum faciat.

## EXHORTATIONES MORIENTIBVS faciundæ ut eis ſubueniatur.

Frater conſidera, omnibus cuiuſcunq; ſint conditionis, & ſtatus, conſtituturum eſſe ſemel mori, aliis tardius, aliis citius, ſecundum curſum durationis, quem a Deo acceperunt. uitam ergo iſtam non tāto ſtudio deſideres, in qua ſæpe quanto amplius uiuitur, tanto culpa maior.

AGNOSCE cariſsime frater, cum gratiarum actione, beneficia in te a Deo collata, quod tibi hactenus etiam in hac extrema uitæ tuæ periodo ſui cognitionem tibi benigne indulſerit. Quod morte repentina te opprimi noluerit. De iis, & aliis innumeris beneficiis Domino Deo noſtro habe gratiam, ad inexauſtam eius miſericordiam confugiens, & de peccatis tuis ueniam humiliter poſtulans.

CONSIDERA frater cariſsime, quod Deus Pater filium ſuum dilectum, inſontem, & innoxium, in quo ſibi bene complacuit, pro nobis miſeris peccatoribus, tot, & tantas tribulationes ſuſtinere uoluit.

Vnde cum in uitæ tuæ excurſu multa peccata, eaq; grauisſima commiſeris, pro quibus pœnas his longe accerbiores commeruiſti, huius morbi, & mortis dolorem patiēter tolerare debes, Deum humiliter rogans, ut præſens dolor



dolor tibi ualeat, ad peccatorum tuorum remiſsionem, & purgatorii horribiles cruciatus, in iſtam afflictionem tuam, per ſuam miſericordiam commutet, & pro pœnis futuris det tribulationes præſentes, quæ nullæ ſunt ad futuras.

Quod ſi contrito corde petieris pœnam neceſſariam, tanquam uolūtariam feres, purgatorium tuum facies hic in mundo, uidelicet has pœnas, alioqui neceſſarias, & quas nulla ratione poſſes euitare pro peccatis tuis ſoluendo. Patienter mortem tolerauerunt, Chriſtus, & Martires; quicquid in carne toleras, leuius eſſe credas eorum tormento, uelis nolis morieris, fac igitur de neceſsitate uirtutem, ut dum tributum naturæ perſoluis apud Deū inuenias meritum.

## DE MORIENTIVM INTERROGATIONIBVS.

Non ne uis cariſsime frater, & mori, & uiuere in ſoliditate fidei Ieſu Chriſti, tanquam uerus chriſtianus?

RESP. VOLO.

Non ne petis à Deo ueniam peccatorum, quæ commiſiſti contra eius ſummam maieſtatem, & quod eum cōdigne non honoraſti? Reſp. Peto.

Non ne tibi deliberatum eſt uitam tuam in melius commutare, ſi tibi incolumi hoc morbo liberari detur? Reſp. Deliberatum eſt.

Non ne Deum rogas ſua bonitate tibi hanc gratiam indulgere, ut ab hoc ſancto propoſito non deflectas, ſed cum peccatorum ſuperiorum contritione, ſemper in bonis operibus proficias? Reſp. Rogo.

Non es tibi conſcius alicuius peccati mortalis, de quo ſacerdoti non ſis confeſſus. Reſp. Non.

Nonne de peccatis oblitis libenſ confitereris, ſi in mentem uenirent? Reſp. Confiterer.

Non ne deſideras cor tuū a Deo illuminari, ut oblita peccata in memoriā reuoces, & de iis cōfitearis? Reſ. Deſidero.

Non

Non ne ex animo parcis omnibus, qui tibi quoquo modo fuerunt moleſti? Reſp. Parco.

Non ne omnibus ueteribus inimicitiis ex tuo ex punctis animo cum inimicis paratus es in gratiam redire. Reſp. Sum paratus.

Non ne ab his ueniam poſtulas, quos aliquando dictis, aut factis offendiſti? Reſp. Poſtulo.

Non ne uis omnia per te ablata reſtitui. Reſp. Volo.

Non ne omnem, quem pateris dolorem propter Deũ, equo animo toleras? Repſ. Tolero.

## ORATIONES IN MORTE DICENDAE.

In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me domine Deus ueritatis.

Dulciſsime domine Ieſu Chriſte, ob honorem & uirtutem tuæ benedictæ paſsionis, iube me aſcribi in numerum tuorum electorum.

Domine Ieſu Chriſte fili Dei uiui pone paſsionem, crucẽ & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meã.

Maria mater gratiæ mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Spiritus cœlorum Angeli beatiſsimi aſsiſtite (quæſo) mihi migrãti ex hoc ſeculo, & potentes eripite me ab immundorum ſpirituum inſidiis, & animam meam in ueſtrum conſortium aſſumite. Tu præcipue Angele bone cuſtos meus.

## QVOMODO MORIENTIBVS SIT ſuccurrendum, & prouidendum.

Si ægrotus à fidei ueritate quoquo modo exorbitet, proponatur ei ſanctorum martirum exemplum, qui in teſtimonium huius orthodoxæ, & uerę religionis chriſtianæ tot, & tanta tormentorum genera paſsi ſunt.

Proponatur ei, quod peccatorũ remiſsio eſt articulus fidei quo ſignificatur, quod quantumcunque, & quotieſcunq; homo peccauerit, tamen per ueram pœnitentiam peccatorum



torum remiſsionem conſequi poteſt, quod niſi crediderit, uerus chriſtianus non eſt.

Præſentetur ei imago crucifixi, aut beatæ Mariæ, aut ſanctorum. Nullo modo amici carnales, ut ſunt coniux, liberi aut amici alii, aut diuitiæ in memoriam reducantur, niſi ſpiritualis ſanitas id exigat.

Non detur ei nimia ſpes corporalis ſalutis conſequendę, ne ea ex moriẽtis animo ſalutis ſpiritualis curam excutiat.

## DE POENIS ET FLAGELLIS a Deo illatis.

Quinque modis flagella contingunt, & habetur quarto ſenten. diſt. 15.

Vel ut iuſtis per pacientiam merita augeantur, ut Iob.

Vel ad cuſtodiam uirtutum ne ſuperbia tentet, ut in Paulo.

Vel ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra.

Vel ad gloriam Dei manifeſtandam, ut de cęco nato.

Vel ad initiũ pœnæ, ut Herodi, quatenus hic uideatur, quid in inferno ſequatur.

De Paulo habetur. 2. Cor. 12.
De Maria. Num. 12.
De Cęco. Ioan. 9.
De Herode. Actuum 12.

## NORMA.

Omnium uero conſultiſsimum eſt, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Ro. 12.

## NORMA.

Conſideremus non quantum ſciamus, ſed quantum ignoremus.

remus. Victorin.lib.3. Et D. imitemur Auguſtinum, qui ſe in ſcripturis ſanctis plura ignorare, quàm ſcire fatetur, in epiſtola ad Ianuarium 119.

## NORMA ALIA.

Si autem ſemel, aut bis lecta nondum intellexerimus, non improbemus, non detrahamus, ſed perſeueremus, excitemus, interrogemus. Io. Damaſcen. lib. 4. cap. 18.

Laus, honor, virtus, Gloria, Deo Patri, & Filio, Sancto ſimul paraclito in ſeculorum ſecula

AMEN.